

DE PROCESSU AD OBTINENDAM DISSOLUTIONEM MATRIMONII NON SACRAMENTALIS IN FAVOREM FIDEI

SUMMARIUM: *Pars I. Introductio. § 1. Praeliminaria (nn. 1-6).*

§ 2. *Notiones fundamentales (nn. 7-13).*

§ 3. *Quaedam notitiae historicae: 1^a Periodus (nn. 14-26). 2^a Periodus (nn. 27-33). 3^a Periodus (nn. 34-36).*

§ 4. *De normis vigentibus ad processum construendum: 1. Comparantur hae normae cum illis anni 1934 (nn. 37-44). 2. De novitatibus, etc. normarum vigentium, sive proceduralium (nn. 45-50), sive substantivarum (nn. 51-60). 3. De methodo quam sequemur (nn. 61-62).*

Pars II. De processu. § 1. Praeliminaria: 1. De ipso processu (nn. 63-67). 2. De stadio dioecetano (nn. 68-79).

§ 2. *De eius itinere IN DIOCESI. I. De libello supplici (nn. 80-94). II. De instructione in genere (nn. 95-102). III. De singulorum factorum probatione: 1^o De coniugum dissidio et actuali statu (nn. 103-110). 2^o. De non collato baptismo (nn. 111-123). 3^o. De inconsummatione matrimonii disparis (nn. 124-144). 4^o. De conversione ac baptismo partis oratricis (nn. 145-151). 5^o. De cautionibus (nn. 152-157). 6^o. De matrimonio cum catechumeno (nn. 158-160). 7^o. De dissolutione matrimonii contracti cum dispensatione ab imp.d.c. (nn. 161-166). 8^o. De modo quo pars oratrix suis obligationibus satisfacere intendat (nn. 167-175). 9^o. «Favor fidei» ut dissolutionis motivum (nn. 176-185). IV. De faciendis post absolutam instructionem (nn. 186-190).*

§ 3. *De processus fine APUD S. SEDEM (nn. 191-198).*

Appendix I. De fontibus et bibliographia.

Appendix II. Dissolutio matrimonii non sacramentalis in schematibus novi Codicis I.C.

PARS I. INTRODUCTIO

§ 1. Praeliminaria

1 1. Uti notum est, solutio matrimonii non baptizatorum per «privilegium paulinum» antiquissima est, sicut verbum ipsum demonstrat.

2 E converso dissolutio matrimonii non sacramentalis in favorem fidei per Summi Pontificis auctoritatem est institutum canonicum longe posterius, cuius primi casus noti habentur in saec. XVIII-XIX¹; sed nostris temporibus, ab anno 1924, sub pontificatu Pii XI valde multiplicati sunt.

3 2. Itaque mirum non est ut de hac matrimonii dissolutione non fieret mentio in Codice I.C. anni 1917, nisi forte implicite². Facta quidem est explicite, sicut infra dicemus, in Schematibus anni 1980 et 1982 novi Codicis; sed canones circa hoc argumentum non transierunt in textum Codicis promulgati. Ratio videtur fuisse discretio, quam S. Sedes semper observavit in hac materia tum propter debitam erga non baptizatorum iura reverentiam tum ne ipsa divortio favere videretur (cf. infra, nn. 28, 36).

Manet tamen in novo Codice mentio implicita de qua supra³.

¹ Ad rem casus citati a Card. P. GASPARRI, «*Tractatus canonicus de matrimonio*», 2^a ed., Vaticano 1932, vol. II, in nn. 1162-1164.

² Implicite enim videtur facta in can. 1119 (cui respondet can. hodiernus 1142), ubi servo est de matrimoniis non consummatis inter baptizatum et non baptizatum. Ad rem Card. Gasparri, oc., n. 1131, alinea 4, in expositione quam facit alterius categoriae matrimoniorum non consummatorum, sub litt. c.

³ Agitur de can. 1142 novi Codicis. Cf. notam praecedentem.

4 3. Valde notandum est iam ab initio quod eiusmodi matrimonia, quae dispensationem in favorem fidei obtinere possunt, non solummodo inveniuntur in sic dictis «terrīs missionum», verum hodie multiplicari incipiunt etiam in nationibus quae a saeculis christianae dicuntur.

5 4. Haec dissertatio constat duabus partibus, quarum primam iam incepimus, et est introductoria. In altera parte exponimus processum ad obtinendam matrimonii dissolutionem in favorem fidei, illustrantes eius iter normis vigentibus, praesertim Congregationis pro Doctrina Fidei⁴.

6 In fine duae adsunt appendices.

§ 2. *Notiones fundamentales*

1. *De vinculo matrimoniali*

7 Eiusmodi est quod ex matrimonii celebratione oritur. Si matrimonium celebratur inter duos baptizatos est sacramentum, ideoque vinculum quod ex eo dimanat «sacramentale» dicitur; si autem inter duos non baptizatos ineatur non est sacramentum, ac proinde vinculum quod oritur «naturale» appellatur.

8 Quaestio olim ponebatur de matrimonio dispari, seu inito a baptizato et non baptizato, an nempe esset sacramentum. Tandem thesis negans eius sacra-

⁴ Quoties in nota citatur aliquis auctor sive solum (= P. MONETA), sive cum initio tituli libri aut articuli (= A. ABATE, «*Il matrimonio*»), significatur citationem completam inveniri in *Appendice I. Fontes et Bibliographia*.

mentalitatem hodie certa habetur⁵. Proinde vinculum ex tali matrimonio ortum est etiam «naturale».

9 Itaque sub «matrimonio non-sacramentali» venit nostris diebus tum matrimonium non baptizatorum, tum matrimonium dispar. Primus Pontifex qui adhibuit formulam «matrimonium non sacramentale» cum hac extensione fuit PIUS XII in anno 1942, asserens Summum Pontificem, praeterquam in matrimonio christiano non consummato, «in certis etiam casibus, ob gravia motiva, *solvere matrimonia quae carent caractere sacramentali*»⁶, etiamsi consummata fuerint.

10 2. De dissolutione matrimonii non sacramentalis.

GREGORIUS XIII, in const. «*Populis*», diei 25 ianuarii 1585, scripsit haec memoranda verba circa infidelium matrimonia: «*huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censi ut, necessitate suadente, dissolvi non possint*»⁷, attamen per solam Romani Pontificis auctoritatem. Quae dissolubilitas extendenda est ad matrimonia disparia quia, pariter ac illa connubia, sacramentalia non sunt.

⁵ Cf. argumentum ex substantiali identitate inter matrimonium dispar et matrimonium duorum non-baptizatorum solutum vi privilegii paulini, apud A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 275. Etiam ostenditur quia vinculum sacramentale ut tale claudicare non potest ex alterutra parte: ideo aut ligat utramque partem, aut nullam; sed primum haberi non potest, quia pars non-baptizata nullum sacramentum, praeter baptismum, valide recipere potest. Ergo.

⁶ *Discorso agli sposi novelli*, 22 aprile 1942, in «*Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII*», vol. IV, Pol. Vat. 1960, p. 47.

⁷ DS, n. 1988.

11 De cetero semper requiritur illa «necessitas suadens», seu — ut hodie dicitur — «iusta causa».

12 3. *De «iusta causa» ad dissolutionem concedendam*

Haec iusta causa reducitur ad «favorem fidei», qui haberi potest aut ex baptismo partis dissolutionem petentis, aut ex emolumento spirituali, quod per novum matrimonium partibus eorumque fillis necnon communitati ecclesiali obvenit⁸.

13 4. *Corollarium*

Ex dictis sequitur quod cum sermo est de dissolutione matrimonii in favorem fidei: a) *non agitur de privilegio paulino*, in quo requiritur baptismus alterutrius coniugis; dissolutio habetur ipso facto quo novum matrimonium contrahitur (non antea!); et causa requisita est «favor fidei» sensu stricto, seu ille qui habetur alterutrius coniugis infidelis baptismo (cf. can. 1143).

b) *Neque de casibus privilegio paulino affinis* (cf. can. 1148)⁹.

c) *Neque de matrimonio baptizatorum rato, quod non fuit consummatum*. Oportet tamen animadvertere dissolutionem matrimoniorum non-sacramentalium magnam similitudinem gerere cum illa matrimoniorum inter baptizatos non-consummatorum, prout ex sequentibus apparebit:

1) *ratione potestatis*, quae est «vicaria».

⁸ Cf. infra nn. 181-183.

⁹ P. MONETA, pp. 229-230. Adverte hodiernum canonem 1148 respondere veteri can. 1125.

2) ratione *modi*, seu per dispensationem.

3) ratione *temporis*, seu ante novarum nuptiarum celebrationem. (Cf. exceptionem infra, n. 195 et nt. 81).

4) ratione *causae*: ex «iusta causa», cui aequiparatur «favor fidei» sensu lato sumptus, prout deinde explicabitur¹⁰.

Maior autem similitudo habetur in ratione procedendi, prout ex parte altera elucebit.

14 § 3. *Quaedam notitiae historicae
circa matrimonii
non-sacramentalis dissolutionem*

15 *Periodus I^a: Dissolutionis ortus et progressiva
extensio (1924-1968)*¹¹

16 CASUS I. *Dissolutio matrimonii disparis contracti valide a baptizato non catholico, sed sine dispensatione «impedimenti disparitatis cultus» (= i.d.c.)*

17 Anno 1924, Sub pontificatu Pii XI, habentur primi casus cogniti, qui versabantur circa matrimonium dispar, in quo baptizatus erat acatholicus¹².

¹⁰ Cf. infra nn. 181-183.

¹¹ In hac periodo sequimur praesertim P. MONETA, pp. 232-239.

¹² Prima dissolutio concessa est die 2 aprilis 1924 per S.C.S. Officii, cuius responsum edidit et annotavit A. VERMEERSCH in «*Periodica*» 21 (1932) 170*-171*. Altera, die 5 novembris eiusdem anni, sed facta est nota prius quam praecedens: primo in «*Ecclesiastical Review*» 101 (1925) 188, dein in «*Periodica*» 14 (1925) 19-21, cum annotationibus, quas probabiliter exaravit idem A. VERMEERSCH.

18 Occasionem dispensationibus dedit restrictio impedimenti dirimentis disparitatis cultus facta in veteri Codice I.C., can. 1070, § 1, quod quidem limitatum fuit ad catholicos. Consequenter baptizati acatholici inde a CIC valide coeperunt contrahere matrimonia disparia. Haec repentina mutatio disciplinae creavit difficultates pro conversione ad fidem catholicam eorum acatholicorum qui matrimonium dispar validum contraxerant et vivebant aut intendebant contrahere cum catholico. Atque haec fortasse fuit causa cur tota quaestio de indissolubilitate vinculi in casu subiceretur peculiaribus studiis, et quidem cum exitu positivo.

19 Prima rescripta S. Sedis silebant de potestate vi cuius vinculum matrimonii in praefatis casibus solutum fuerat. Patri VERMEERSCH res visa est «exceptio rarissima, cuius causa nos latet»¹³; sed posterior S. Congregationis praxis confirmavit agi de figura diversa ab illa privilegii paulini, seu autonoma.

20 Probabiliter numerus horum casuum cito multiplicatus fuit, quod praesertim colligitur ex eo quod die 1 maii 1934 *Instructio* ad illos moderandos edita est¹⁴. In *Instructione* quattuor erant requisita necessaria ad dispensationem: *duo ad valorem* (sc. ut coniux non baptizatus talis remanserit per totum tempus vitae coniugalis aut, si baptismum receperit, matrimonium postea non consummatum fuerit), alia *duo ad liceitatem tantum* (sc. impossibilitas restaurandi vitam coniugalem et absentia scandali)¹⁵.

¹³ «*Periodica*» 14 (1925) 21 Cf. etiam adnotationes ad casum primum, *ibid.*, 21 (1932) 171*.

¹⁴ Eius textum vide infra in *Appendice I, A. Fontes*, n. 1.

¹⁵ *Ibid.*, art. 3, respective § 1 et §§ 2-3. Hae omnes condicio-

21 CASUS II. *Dissolutio matrimonii disparis contracti a catholico cum dispensatione i.d.c.*¹⁶

22 1^a Figura

Anno 1947, sub pontificatu PII XII, conceditur prima vice, ut videtur, dispensatio in sequenti casu, sc. super matrimonio dispari contracto a viro catholico (ideo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus), quia mulier intendebat baptizari et novas nuptias inire cum alio catholico. Occasio desumpta fuit ex eo quod dubium erat circa consummationem matrimonii. Dispensatio videbatur inconueniens propterea quod matrimonium contractum fuerat cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

23 2^a Figura

In linea modo incoepta longius progressum est. Nam primo concessa fuit dissolutio ut uxor catholica, quae, obtenta dispensatione i.d.c., matrimonium contraxerat, novum matrimonium iniret cum alio non-baptizato, elargita iterum dispensatione ab eodem i.d.c.

24 3^a Figura

Praeterea sub Iohanne XXIII idem concessum est oratrici non baptizatae, ut, remanens in sua religione, contraheret iterum cum viro catholico, praeuia altera dispensatione i.d.c.

nes resumuntur in nova Instructione anni 1973, nn. I, II, aliis additis.

¹⁶ De tribus sequentibus figuris cf. P. GARCÍA BARRIUSO, pp. 465-468.

25 CASUS III. *Dissolutio matrimonii duorum non baptizatorum*

Hic gressus factus fuerat die 11 maii anni 1958, cum vergeret ad finem pontificatus Pii XII. Usque ad illud tempus doctrina censebat matrimonia duorum non-baptizatorum (seu, ut dicebantur, legitima, ad normam veteris Codicis, can. 1015, § 3), substracta esse iurisdictioni Ecclesiae. Sed tunc coepta est concedi dispensatio super matrimonio legitimo, etiamsi pars oratrix nollet converti, quia volebat contrahere cum catholico quocum iam modo stabili convivebat, sive in matrimonio civili sive secus¹⁷.

26 Ad finem huius primae periodi iuvat indicare illam progressivam extensionem dispensationis ad novos casus, ex una parte contulisse ad melius cognoscendam indolem potestatis Summi Pontificis et causas requisitas ad dispensandum, ut recte animadvertunt P. Moneta et U. Navarrete¹⁸; ex alia, vero, creavisse quasdam perplexitates circa extensionem dispensationis ad certos casus factam. Sic praeparabatur iter ad periodum reflexionis, quam, ut videbimus, alia etiam facta commendarunt.

27 *Periodus 2^a: Congregatio pro D.F. quaestioni de solutione matrimonii in favorem fidei diutius studet (1968?-1973)*

¹⁷ A. ABATE, «*Periodica*», 67 (1978) 123-24. Pro die et mense dispensationis cf. votum Card. A. TABERA in J. RODRIGUEZ, p. 541. *Ibidem* indicantur aliae duae dispensationes, sc. die 4 iulii 1958, et sub IOHANNES XXIII, feria IV post 1 augusti 1959.

¹⁸ P. MONETA, p. 236. U. NAVARRETE, «*Potestas vicaria*», pp. 448-459.

28 1. S. Sedes has dispensationes tenuit — et tenet — sub secreto. Ita, v.g. relate ad Instructionem anni 1934, commendabat Episcopis ne eam redderent «publici iuris», sed curarent ut observaretur «tanquam norma interna tribunalis ecclesiastici». Ratio huius secreti indicabatur in eius art. 16, sc. ne aliqui errando censeat quod «Ecclesia impio divortiorum usus sua praxi faveat».

29 Hic timor auctus est tum ex crescente potestatis vicariae usu quem supra indicavimus, tum ex insectationibus contra indissolubilitatem matrimonii rati et consummati (quas incepit Episcopus ZOGHBY in Concilio Vaticano II)¹⁹, unde multi inducebantur in errorem, cogitantes fore ut, vi potestatis vicariae, etiam matrimonium ratum et consummatum aliquando dissolveretur.

30 2. Propter has rationes, voluit PAULUS VI ut Congregatio pro doctrina fidei totam quaestionem de solutione matrimoniorum non sacramentalium penitus consideraret²⁰. Periodus studii videtur incoepa fuisse in anno 1968²¹, et finivit die 26 octobris 1973,

¹⁹ P. MONETA, pp. 237-238.

²⁰ Cf. brevem praefationem *Instructionis 6 decembris 1973*, in «*Documenta Recentiora*», II, n. 5524, et infra, n. 31.

²¹ Nam, etsi nova Instructio edita est in anno 1973, uti diximus in nota praecedenti, tamen in Prot. N. 2117/[19]68 indicatur annus 1968, in quo haec quaestio verisimiliter incoepa est sub n. 2117, et consequenter omnia documenta circa eandem quaestionem, non exclusa *Instructione conclusiva*, eodem protocolli numero signantur.

Adhibitio numeri Protocolli iam facta fuerat a J. STEINDL, p. 346, nota 3; sed inde trahit conclusionem quod nova instructio tunc temporis iam erat elaborata («ausgearbeitet»). Sed haec conclusio admitti non potest tum quia numerus Protocolli indicat potius initium negotii, tum quia ex responso Congregationis diei

cum novae Normae integros effectus obtinuerunt (sic Congregatio pro D.F., in responso 16 sept. 1974; cf. infra, Appendix I, B, n. 4, ad 4^{um} quaesitum seu dubium), sc. paulo antequam eadem normae communicatae fuerint cum Episcopis per Instructionem «Ut notum est», diei 6 decembris eiusdem anni, in qua colliguntur fructus quinquennii reflexionis, uti dicit ipsa Instructio in verbis introductoriiis:

31 «*Ut notum est, haec S. Congregatio quaestionem de solutione matrimonii in favorem Fidei diutius tractavit atque studuit.*

«*Nunc demum re diligenter investigata SS. mus D. N. Paulus Papa VI dignatus est approbare has novas normas, quibus enuntiantur condiciones pro concessione solutionis matrimonii in favorem Fidei sive pars oratrix baptizetur aut convertatur, sive non*»²².

32 3. Hae normae Instructionis, ut innui, sunt conclusiones ex studio et disputatione, longe protractis. Fortasse aliquis quaerat quaenam in concreto quaestiones agitatae fuerint, quas opiniones Patres aut Consultores habuerint circa obiectum potestatis vicariae, extensionem «favoris fidei» eiusve discrimen aut identitatem cum sic dicta «iusta causa», etc., et quibus argumentis illas propugnauerint.

Ut obvium est, responsum certum et completum ad haec quaesita continetur solummodo in actis adnationum. Tamen aliquae responsionum insinuatio-

29 martii 1972 (cf. deinde, in nostro textu, n. 33), collato cum altero eius responso diei 24 aprilis 1974 (cf. *ibid.*, n. 35), certo constat novam instructionem editam fuisse post citatum primum responsum. Clarius autem ex documento citato supra, in nostro textu, n. 30.

²² Cf. supra, notam 20.

nes quasi per rimas haberi possunt ex articulis a personis valde qualificatis in hac materia editis circiter annum 1973²³; nam verisimiliter illi articuli aliud non sunt nisi ipsa studia pro discussione elaborata, paucis quibusdam omissis aut additis ut vera identitas scripti non pateret.

33 4. Dum periodus studii protrahebatur, concessio dispensationum videtur restricta fuisse ad casus in quibus habebatur favor fidei *stricto sensu*. Ad rem casus Boireaux-Roland, dioecesis Pampilonen., cuius praecipua acta publici iuris facta sunt²⁴. Agebatur de matrimonio duorum non-baptizatorum; vir reliquerat uxorem et, post divortium, novum contraxit matrimonium; uxor petiit in mense augusti 1972 dispensationem in favorem fidei ad ineundas nuptias cum viro catholico, *quin tamen ipsa se converteret*. Die 29 martii 1972 Sacrum Dicasterium respondendum censuit:

«Cum desit in casu Favor Fidei stricto sensu, i.e., conversio partis oratricis ad Fidem Catholicam, quae ut conditio necessaria ponitur, pro nunc non expedire ut solutio matrimonii, de quo supra, concedatur»²⁵.

34 Periodus 3^a. Resumptio dispensationum iuxta novas normas (1973)

Uti, iuxta supra dicta verisimile est, plures casus, delati ad Congregationem per illos annos studio dedicatos, obtinuerunt responsum interloquutorium,

²³ V. g., M. ZALBA (1969), Card. P. FELICI (1975), hodiernus Card. J. TOMKO (1975), A. ABATE (1978), U. NAVARRETE (1980), et alii.

²⁴ J. RODRÍGUEZ, pp. 539-541.

²⁵ *Ibid.*, p. 542.

quod iam novimus: «*pro nunc non expedire ut solutio matrimonii, de quo supra, concedatur*». Sed vix nova Instructio perfecta fuit die 6 decembris 1973, communicari coepit «sub secreto» cum Episcopis, cum illis praesertim qui casus pendentes apud Congregationem habebant.

35 De facto ita evenit cum casu nobis noto. Congregatio die 2 ianuarii 1974 iterum scripsit ad Episcopum Pampilonensem ut, si parti oratrici adhuc cordi esset dispensatio, novus fieret processus iuxta recentissimas normas. Illico omnia perfecta sunt et die 9 februarii ad Congregationem missa. Et Congregatio tulit decretum, a PAULO VI die 24 aprilis 1974 approbato, in quo affirmativum responsum dabat tum ad solutionem matrimonii Boireaux-Roland (vir conventus, tamen, nunc «*probabiliter non baptizatus*» dicitur), tum ad dispensationem ab i.d.c., ut pars oratrix posset novas inire nuptias cum parte catholica²⁶.

36 Congregatio, cohaerenter cum sua praxi, novas normas non fecit publici iuris in *Actis Apostolicae Sedis*. De facto tamen editae sunt in pluribus ephemeridibus et linguis²⁷. Probabiliter haec publicatio, pe-racta «de facto», in causa fuit ut argumentum ingrederetur Schemata novi Codicis usque ad ultimum inclusive²⁸. Tamen relativi canones non transierunt in Codicem promulgatum, ideoque normae, in quantum possibile, teguntur adhuc secreto, quod hac in re S. Sedes servandum semper curavit.

²⁶ *Ibid.*, pp. 542-544.

²⁷ Cf. citationes completas in *Documenta recentiora*, II, n. 5521.

²⁸ Cf. *infra*, Append. II. *Dissolutio matrimonii propter favorem fidei in novi Codicis Schematibus*.

37 § 4. *De normis vigentibus
ad processum construendum*

38 1. *Normae hodiernae cum illis a. 1934 quoad
structuram comparantur*

39 a. *Normae anni 1934*²⁹

De contextu historico in quo hae normae ortae sunt, iam supra egimus (n. 20, cf. nn. 17-19). Constituebant textum unicum in 18 articulos divisum, quorum tres primi erant substantivi, reliqui vero processuales. Titulus instructionis comprehendebat clare utrorumque argumentum: *Normae pro conficiendo processu in casibus solutionis vinculi matrimonialis in favorem fidei per Supremam Summi Pontificis auctoritatem*.

40 Opportunum est summatim praebere elementa substantiva, quae habent partem leonis in titulo, et quae breviter exponuntur in tribus primis articulis.

41 *Art. 1.* Asserit: 1° connubia inter acatholicos, sive neuter sit baptizatus sive alteruter tantum baptismo careat, *esse valida*, 2° posse tamen dissolvi in favorem fidei, 3° a solo Summo Pontifice.

42 *Art. 2.* Rei *cognitio* pertinet exclusive ad S. Officium.

43 *Art. 3.* Constat ex introductione et ex tribus paragraphis:

a) *Introductio.* Statuit connexionem inter «dissolutionem» et «processum», nam illa gratia non conceditur nisi ex processu «probe compertum fuerit»

²⁹ Vide has *Normas* infra, *Append. I, A. Fontes*, n. 1.

(diceremus: «certitudine morali constet») adesse condiciones requisitas, de quibus statim, et causae gravissimae, quae concessionem gratiae postulent.

b) In § 1 continentur duae tantum *condiciones sine qua* non, sc. carentia baptismi in alterutro coniuge, et, si forte baptizatus fuerit, inconsummatio matrimonii.

In §§ 2-3 exiguntur duae condiciones ad liceitatem tantum: impossibilitas restaurandi conviventiam et absentiam scandali.

44 b. Normae vigentes, 6 dec. 1973 datae³⁰.

De his normis earumque origine iam egimus supra in nn. 30-32. Addamus easdem habere structuram valde a praecedentibus diversam, siquidem praescripta *substantiva* continentur in sic dicta: *Instructio diei 6 dec. 1973*. In separatis vero foliis continentur praescripta processualia sub inscriptione: *Normae procedurales pro conficiendo processu dissolutionis vinculi matrimonialis in favorem fidei*.

2. De normarum anni 1973 novitatibus, inconcinnitatibus, et omissionibus.

45 Incipiamus a normis proceduralibus, quae, pro praesenti scopo, brevius expediuntur, ac dein agemus de normis substantivis.

46 1) De normis proceduralibus anni 1973.

Ut patet, hae normae, sicut *Instructio* ipsa, exaratae fuerunt decem annis ante vigentem Codicem I.C., ideo nunnulla inveniuntur in eis, quae Codici

³⁰ Textus harum Normarum in *Documenta recentiora*, II, nn. 5520-5547.

aptanda sunt. Ex his aliqua mutuari possunt ex processu super matrimonio rato et non consummato (can. 1697-1706); nam, etsi casus sunt diversi, in pluribus congruunt, etiam substantialibus, sicut iam dictum est (n. 13, c).

47 De cetero Congregatio pro D.F. probabiliter normas substantivas et procedurales Codici accommodabit, sicut recentissime fecit S.C. de Sacramentis cum normis «Super rato».

48 Redeuntes ad vigentes normas procedurales, practice sunt illae ipsae anni 1934, cum quibusdam additionibus. Claritatis causa iuvat hanc tabellam comparativam praeberere, indicando in notis quae in anno 1973 addita sunt:

49	1934	1973	1934	1973	1934	1973
	Artt.	Artt.	Artt.	Artt.	Artt.	Artt.
	4	1 ¹	9	6 ²	14	11
	5	2	10	7		12 ⁵
	6	3	11	8 ³	15	13
	7	4	12	9 ⁴	16	14
	8	5	13	10	17	15 ⁶
					18	16 ⁷

50 ¹ In hoc articulo sunt noviter introducta verba: «concessioni gratiae dissolutionis matrimonii legitimi praemitendum». Deinde loco «can. 1964» scribitur: «Litt. Ap. *Causas matrimoniales*, IV, § 1».

² Paragraphus ultima est *nova*.

³ *Nova*: «si conversus et baptizatus fuerit».

⁴ *Nova*: «In eodem casu».

⁵ *Novus*.

⁶ *Nova*: «Idem Ordinarius de adimpletis pro concessione gratiae condicionibus adamussim referat et, si cautiones (de quibus in n. I, sub. litt. c) datae sint, harum authenticum documentum remittat».

⁷ *Nova*: «tribus exemplaribus».

51 2) *De normis substantivis anni 1973.*

Hae normae substantivae, quae in sic dicta Instructione continentur, habent quasdam novitates, duas inconcinnitates et omissiones notabiles.

52 1° *De novitatibus.*

Prima novitas sunt quaedam verba introductoria iam citata (supra, n. 31), quibus ratio instructionis datur. Agitur de duabus paragraphis non numeratis.

53 Sequuntur dein normae, quae designantur numeris romanis: In n. I, duabus condicionibus ad valorem anni 1934 tertia nunc additur. Et in n. II, praeter duas condiciones ad liceitatem iam notas, aliae sex ex novo adsunt. In nn. III-IV novae praescriptiones continentur quae respiciunt eventualem concessionem aut denegationem gratiae dissolutionis matrimonii disparis, contracti cum dispensatione ab i.d.c.

54 Tandem mentio fit de annexis normis proceduralibus, et abrogatur praecedens instructio anni 1934.

55 2° *De duabus inconcinnitatibus, et de quibusdam omissis.*

a. De inconcinnitatibus. Sub n. IV remittitur ad *condiciones* statutas in praecedentibus nn. II-III. Sed cum in n. III nullae statuuntur condiciones, quae e converso praescribuntur in nn. I et II, sequitur quod pro II-III legendum est I-II.

56 Altera inconcinnitas est locutio «matrimonium legitimum», adhibita in nn. V e VI. Inconcinnitas non oritur ex eo quod talis locutio non contineatur in Codice vigente, sed quia Instructio eam adhibet in sensu diverso ab illo quem habebat locutio in veteri

Codice, sub quo eadem Instructio nata est. Etenim can. 1015 § 3 (uti supra, n. 25, diximus) statuebat: «Matrimonium *inter non baptizatos valide celebratum, legitimum dicitur*». Et tamen in citatis nn. V-VI locutio intelligenda est de matrimonio dispari, seu inter partem baptizatam et non baptizatam. Merito quis quaerat unde locutio «matrimonium legitimum» talem sensum obtinuerit?

57 Responsum dat optimum J.L. ACEBAL, indicans illum sensum procedere ex quodam canone Schematum de Sacramentis³¹. Immo, possumus addere agi de quadam novitate inducta anno 1966 in prima revisione antiqui can. 1015. Coetus enim consultorum «*censuit matrimonium validum dicendum esse legitimum*» (*Communicationes* 3 [1971], 70); in qua tamen formula, ut obvium est, non comprehendebatur matrimonium validum baptizatorum; quod merito «*ratum*» appellavit Schema Episcopis communicatum anno 1975. In eius can. 245 § 1 retinebat illud principium novum, et § 2 indicabat obviam exceptionem supra relatam. Sed illa § 1 suppressa fuit inde ab Schemate anni 1980, unde automaticae reliquae tres paragraphi obtinuerunt numeros 1-3 (uti videri potest in hodierno can. 1061), quin ullum vestigium novitatis inductae anno 1966 in toto Codice anni 1983 manserit.

58 Uti planum est, si «*matrimonium quodlibet validum* [non tamen inter duos baptizatos]» dicitur *legitimum*, sub locutione «matrimonium legitimum» comprehendebantur duae figurae: matrimonium duorum non-baptizatorum, et matrimonium dispar. Ideo Congregatio pro D.F. introduxit in sua Instructione anni 1973 hunc novum ampliatum sensum locutionis

³¹ J.L. ACEBAL, p. 15, 2^a.

«matrimonii legitimi», minime praevidens futuram etiam ipsius locutionis suppressionem inde ab schemate anni 1980.

59 Qui tamen haec ignoret, difficulter intelliget sensum sub quo Instructio locutionem «matrimonium legitimum» adhibeat.

60 *b. De notabilibus omissionibus.* Admirationem movet quod tria illa principia fundamentalia in nostro argumento, quae in Instructione anni 1934 inveniuntur in art. 1-2 et in introductione art. 3, nullibi in nova Instructione uti talia proponantur. Haec principia iam supra (nn. 40-43, a) commemoravimus et sunt praesertim haec tria:

1°. Dissolutio matrimoniorum non sacramentalium fit solum per supremam potestatem Summi Pontificis.

2°. Reservatur cognitio hius argumenti C. pro Doctrina Fidei.

3°. Oportet ut certo constet de requisitis, et quidem ad valorem, ut Summus Pontifex sua potestate uti possit.

61 § 2. *De methodo quam sequemur in commentario*

Uti legenti patet, Instructio et Normae procesuales tractant idem argumentum sed sub diversis aspectibus. *Instructio* agit de casibus in quibus dissolutio conceditur et de requisitis ad illam, sive ad valorem sive ad liceitatem; *Normae* vero, versantur praesertim circa cuiusque requisiti probationem.

62 Ad vitandas repetitiones curabimus agere per modum unius de singulis quaestionibus, coniungentes

loca Instructionis et normarum quae eandem rem tractant, quantum materia id sinat.

Denique in Commentario faciendo ordinem seu iter processus observabimus.

PARS II. DE PROCESSU

§ 1. *Praeliminaria*

63 1. *De ipso processu*

Processus in genere est series actuum legitimorum, quibus competens Auctoritas cognoscit et decedit, ad normam iuris, rem ad eam delatam.

64 Res delata potest esse aut «ius quod sibi debetur», aut gratia obtinenda. In primo casu Auctoritas utitur potestate iudiciali et processus pariter iudicialis dicitur; in altero, Auctoritas agit potestate administrativa et processus appellatur administrativus.

65 In nostro casu agitur de petitione gratiae dissolutionis vinculi naturalis matrimonii, quam alteruter coniux porrigit Romano Pontifici, ut, praevia tum investigatione in diocesi tum deliberatione apud Congregationem pro Doctrina fidei, tandem gratia, si casus ferat, ab eodem Romano Pontifice concedatur.

66 Ex supra dictis patet processum pro obtinenda dissolutione vinculi esse natura sua administrativum. Id non impedit quominus termini adhibiti aliquando ordinem «iudiciale» sapiant.

67 Constat pariter processum obtinere duo stadia, aliud in diocesi, et aliud apud S. Sedem. Nostra

interest praesertim stadium dioecesanum, de quo statim agemus.

2. De stadio dioecesano

68 a. De Episcopo dioecesano competente. Licet art. 1 loquatur de Ordinario, adhibemus vocem Episcopum dioecesanum, quia novus Codex eam in his casibus adhibere solet (cf. can. 1699 § 1). De cetero quae dicemus de Episcopo, valent etiam de ei aequiparatis (can. 381 § 2).

69 In eodem art. 1 Episcopus obtinebat competentiam iuxta praescripta M.P. «*Causas matrimoniales*», quae respiciebant causas nullitatis, ideoque iudiciales. Quamobrem abrogato iam M.P., magis opportuna videntur normae introductae in novo Codice relate ad causas «de rato», quae sunt administrativae, ita ut censeatur «*competens ad accipendum libellum... Episcopus dioecesanus domicilii vel quasi domicilii Oratoris*» (can. 1699, § 1). Fundamentum pro hac substitutione invenitur in similitudine inter utrumque processum (cf. supra, n. 13, c); ac de facto in schematibus Codicis semel et iterum remittebatur ex canonibus processus in favorem fidei ad canones de processu super rato tantum (cf. infra, App. II, ad finem omnino). Pari modo posset applicari in processu in f. fidei sic dictum «forum probationum», sicut recenter fecit Congregatio de Sacramentis in «*Litteris Circularibus*» diei 20 dec. 1986³².

70 b. De Episcopi potestate. Episcopus competens potest conficere processum «*per se vel per alium*

³² Hae litterae non prodierunt in AAS, sed inveniuntur in *Communicationes* 20 (1980) p. 79, n. 1.

ecclesiasticum virum ab eo delegatum» sive stabiliter sive in singulis casibus (cf. art. 1, coll. cum can. 137 § 1). «*De facta delegatione aut commissione debet constare in actis ad S. Sedem transmittendis*» (art. 1).

71 «Ecclesiasticus vir» intelligitur presbyter aut diaconus. Pro causis de rato expresse fit sermo de «idoneo sacerdote» (can. 1700 § 1).

72 Relate ad hunc «virum ecclesiasticum» seu clericum, quaeri potest an sustineatur haec qualitas clericitatis, etiamsi iuxta novum can. 1428 § 2, instructor possit esse laicus. — Respondendum videtur *Negative*, quia agitur de instructione speciali, ferente secum, ut plurimum, etiam elaborationem voti Episcopi; quod quidem est alienum a munere instructoris, iuxta cit. can. § 3. Indoles sacerdotalis instructoris in nostro casu videtur constare tum ex cit. can. 1700, § 1, tum etiam ex allatis «Litteris Circularibus»³³.

73 *c. De eius auxiliaribus*. Sive Episcopo, sive eius delegato, praesto esse debent tum Defensor vinculi (can. 1432), tum Notarius (can. 1437), uti obiter dicitur in art. 4.

74 Etiam Defensor vinculi et Notarius constitui possunt tum ad casum, tum pro omnibus casibus intra determinatam temporis periodum.

³³ In his «Litteris», sub. n. 23,2, legitur: «Episcopus per se ipsum votum exaret; potest tamen facultatem illud conficiendi generaliter delegare de speciali mandato Vicario Generali aut Vicario Episcopali. Hoc autem in casu, ipse Episcopus suum faciat votum delegati, antequam huic Congregationi illud transmittat» (*Communicationes*, ibid., pp. 82-83). Ultimum comma (prout innuitur in nota 71) refert responsum datum a Commissione Codicis, die 21, 2, 84, quod publici iuris factum non est.

75 d. *De partibus*. «*Pars oratrix*», seu petens dissolutionem vinculi naturalis proprii matrimonii, potest esse aut catholica aut acatholica, sive baptizata sive non. Ratione habita horum elementorum possunt multiplicari casus seu diversae figurae matrimonii non sacramentalis, quarum unaquaeque habet sua praesupposita propria. Ad rem A. ABATE:

«Potest evenire ut pars oratrix sit: a) pars non baptizata, quae baptizatur; b) pars baptizata acatholica quae convertitur; c) illa aut haec altera, sed non baptizata aut non conversa; d) pars catholica aut pars non baptizata provenientes ex matrimonio inito cum dispensatione ab i.d.c.»³⁴.

76 Nulla datur praecedentia in favorem partis baptizatae.

77 Nequit tamen esse pars oratrix illa quae habet interesse in dissolutione vinculi matrimonialis, sed non est coniux in illo matrimonio, etiamsi desideret nuptias inire cum alterutro coniuge illius matrimonii non sacramentalis.

78 «*Pars altera*», seu quae non est oratrix, potest aut unire se petitioni partis oratricis, et tunc dicitur pars «associata»; aut potest esse contraria gratiae vel simpliciter aliena a petitione, et tunc nominatur pars «conventa». (Cf. *infra*, nn. 166, 196-198).

79 e. *An possit pars oratrix uti iuris perito*. Relate ad possibilitatem vel minus adiuvandi partem actricem ut petitionem conficiat aut eventualem casus difficultates solvat, videtur opportuna praescriptio can. 1701 § 2: «*Patronus non admittitur, sed, propter*

³⁴ A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 279, n. 2. Versio latina est nostra.

casus difficultatem, Episcopus permittere potest ut iuris periti opera orator vel pars conventa iuvetur». Cui iuris perito intelligitur etiam concessa facultas can. 1705 § 3.

§ 2. De processu itinere in DIOCESI

80 1. De libello supplicis.

1. Sub nomine supplicis libelli venit scriptura, quam pars oratrix, tramite Episcopo dioecesano, mittit ad Summun Pontificem, rogans dissolutionem proprii matrimonii in favorem fidei, indicans:

1) an illud matrimonium contraxerit cum dispensatione ab i.d.c.,

2) quibus motivis ad petendam gratiam impelatur,

3) cum qua persona novas nuptias inire desiderat et an sit baptizata necne (cf. tamen *infra*, n. 195, nota 73).

81 2. Supplici libello adiungenda sunt haec documenta in scriptura originali aut in apographo authenticato:

1) Documentum celebrati matrimonii.

2) Processiculus praematrimonialis necnon apographum dispensationis ab i.d.c., si matrimonium fuerit dispar.

3) Documentum baptismatis partis quae iam erat baptizata tempore nuptiarum, sive fuerit catholica sive non.

82 3. De reiectione a limine.

Libellus reicitur a limine imprimis in duobus casibus in quibus, *ad normam iuris*, gratia non conceditur.

83 *Casus I. (Instr, n. V).* Non conceditur gratia si agitur de parte oratrice catholica, quae provenit ex matrimonio contracto cum dispensatione ab i.d.c., et petit dissolutionem ut ineat novas nuptias cum non baptizato qui non se convertit.

84 Haec est ratio agendi mature a S. Sede assumpta, quam non intendit mitigare ne quidem pro regionibus ubi numerus non baptizatorum longe superat catholicorum numerum, etiamsi ageretur de persona catholica, quae nullam aliam haberet possibilitatem nubendi nisi cum persona non baptizata, quae converti non vult³⁵.

85 Ante decem annos Conferentia Episcopalis e Zambia petiit a S. Sede abrogationem n. V, ut illae personae novas nuptias contrahere possent. Responsum datum die 27 sept. 1977 fuit negativum. Ecce rationes:

86 «... cum in articulo V agatur de matrimonio celebrato cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus et deinde soluto, intentio habetur vitandi ne novum matrimonium contrahendum, pariter cum dispensatione a disparitate cultus, in eandem vertat fortunam adversam, et ita in infinitum.

Alia ex parte in eiusmodi casibus non obtinetur "bonum sacramenti", quod fundamentum est indispensabile ut in dissolutione "favor fidei" habeatur.

Quod ad incapacitatem attinet fidelium ut normam intelligant, ad Ordinarios spectat ut provideant per congruam catechesim...»³⁶.

³⁵ Sic. *ibid.*, p. 289.

³⁶ Cf. *Append. I, A. Fontes*, n. 6. Versio latina est nostra. Non obstantibus his rationibus, praeter alia argumenta quae adduci possent in contrarium, v.g. quod novae nuptiae, ut plurimum, sunt magis oculatae, liceat nobis indicare tam severam prohibitionem non videri in «favorem fidei». Nam, posito numero

87 Tamen, obvium est quod dissolutio concedetur parti oratrici — adiectis probabiliter quibusdam condicionibus —, si intendit novas nuptias cum baptizato inire (cf. *infra*, nn. 161-164).

88 *Casus II (Instr. n. VI). «Non conceditur solutio a matrimonio legitimo [«dispari»] quod contractum vel convalidatum sit post obtentam dissolutionem a priore legitimo [«duorum non baptizatorum»] matrimonio».*

89 Hic casus illustratur cum supra dictis (nn. 33, 35) circa dissolutionem matrimonii Boireaux-Roland et novas nuptias Roland-M. Agebatur *primo* de matrimonio duorum non baptizatorum, sc. P. Boireaux (vir) et P. Roland (uxor). P. Roland obtinuit divortium, ac tunc M., catholicus, attentavit matrimonium cum ea.

90 *Deinde* hoc matrimonium convalidatum fuit, obtenta sive dissolutione vinculi naturalis existentis inter P. Boireaux-P. Roland, sive dispensatione ab i.d.c., siquidem P. Roland nolebat se convertere.

91 Si M., catholicus peteret iterum dissolutionem matrimonii disparis ad ineundum novum matrimonium cum non baptizato, qui non se convertit, gratia non conceditur. sicut evenit in *Casu I*, et

longe inferiore catholicorum, immo virorum, in aliqua regione, sequitur ut iuvenes uxores, quarum matrimonium cum non-baptizato naufragium fecit, uniantur civiliter cum alio non baptizato, et, frigescente erga Ecclesiam amore, negligent educationem christianam prolis. Ideo illa prohibitio cederet potius in damnum fidei, et aliquo modo videtur contraria principio vigenti in saeculis IV-XIII ubi invocabatur «favor fidei» ad suadendam continuationem cohabitationis cum parte non baptizata, propter paganorum conversionem et Ecclesiae augmentum (cf. *infra*, n. 177, cum nota 62).

quidem propter easdem rationes, indicatas a Congregatione pro doctrina fidei (cf. nn. 83, 86). Concederetur, tamen, si intenderet matrimonium cum baptizato (cf. supra, n. 87).

92 *Casus III.* Insuper reicitur si *evidenter* constet de absentia alicuius condicionis ex tribus «sine quibus non» seu ad valorem, recensitis in *Instr.*, n. I.

93 Si tamen relate ad unam ex his condicionibus habeatur solummodo dubium an impleta fuerit, diligentissime res in instructione investigari debet, prout docet Pius XI (Allocutio ad R. Rotam, 3 oct. 1941, AAS 23 [1941] 425).

94 Simili diligentia investigandum est quoad ceteras condiciones, quae liceitatem tantum respiciunt, in *Instr.* n. II requisitas.

95 II. *De instructione in genere.*

1. Instructio est illa pars processus in qua facta controversa, si fieri potest, «instruuntur» seu «muniuntur» probationibus, ex quibus eorum veritas elucescat.

96 Species probationum, quae frequentius occurrunt in his causis, sunt documenta et testium interrogationes (cf. *NPr.*, art. 2), de quibus sermo erit in concreto quando agemus de clarificandis factis, quae in his processibus non raro dubia apparent.

97 Probationes uti tales habentur solummodo si gignunt certitudinem moralem in animo iudicis, vel eidem aequiparati (can. 1608 § 1). Excludenda est igitur quaevis seria probabilitas in contrarium³⁷.

³⁷ PIUS XII, *Allocutio ad S.R. Rotam*, circa certitudinem moralem, in AAS 39 (1942) 338-342. Doctrinam Pii XII confirmat

98 2. De recognitione documentorum bene agit
art. 3.

99 3. In *art. 4* clare statuitur de personis quae elaborare debent quaestiones partibus et testibus deferendas, de modo interrogandi, de actis a notario conficiendis, necnon de subscriptionibus.

100 Quoad iusiurandum (§ 2), Codex maiore amplitudine agit circa tempus iurisiurandi; et admittit etiam possibilitatem ut quis iniuratus audiatur (can. 1562).

101 4. *Art. 5*, de modo eundi obviam testi, qui Tribunal adire recusat, est valde completus; sed can. 1528 offert insuper possibilitatem audiendi testem «*etiam per laicum a iudice designatum*».

102 5. Quoad ordinem in personis audiendis, praxis suadet ut initium fiat a coniugibus, et quidem potius a parte conventa, ut Instructor quam primum discrete veniat in cognitionem de eius opinione circa asserta a parte oratrice in supplici libello et circa alias quaestiones, quae expedit ut ab initio clarificentur.

*III. De singulorum factorum probatione in specie*³⁸.

103 1°. *De coniugum dissidio et actuali vitae statu (Instr. II, §§ 1-4; NPr. art. 10, 13).*

Ut supra dictum est, ad ponenda haec facta in plena luce, oportet interrogare ante omnia partem conventam, «*si potis sit neque rationabiliter sese oppo-*

Ioannes Paulus II in alia *Allocutione ad Rotam*, in *AAS* 72 (1980) 176.

³⁸ In tractatione huius ampli argumenti eminet A. ABATE propter eius cognitionem simul theoricam et practicam; ideo eum frequenter sequemur.

nat» (n. II § 4); deinde etiam partem oratricem et testes (art. 10).

104 1. *De dissidio, eiusque causis (nn. II §§ 1-3; art. 13).*

a. Ante omnia debet constare quod omnia conamina facta ad obtinendam reconciliationem partium evaserunt inutilia ita ut nulla sit spes restaurationis vitae coniugalis ob dissidii radicalitatem.

105 Haec conamina sunt superflua si coniuges novas nuptias inierint, aut si pars conventa, post separationem definitivam, abierit quin vestigia reliquerit de loco ubi degat.

106 b. Ad liceitatem «dissolutionis» requiritur: 1) quod pars oratrix sua ratione agendi non fuerit causa culpabilis, exclusiva aut praevalens, naufragii matrimonii. Ut plurimum dissidium ambabus partibus debetur. In dubio an praevaluerit pars actrix, standum pro inexistencia responsabilitatis. Atque in hunc sensum intelligunt etiam aliqui auctores can. 1150: «*In re dubia, privilegium fidei* [heic «favor fidei»] *gaudet favore iuris*³⁹.

107 2) Insuper requiritur ut pars catholica, cum qua contrahendum vel convalidandum sit novum coniugium, non provocaverit coniugum separationem sua culpa, sensu explicato. Probatio potest esse evidens si pars oratrix non frequentaverit novam comparam nisi postquam ipsa et eius coniux divortium obtinuerunt aut definitive separati sunt.

108 2. *De utriusque partis statu (II § 2; art. 13-14)*

³⁹ Cf. A. ABATE, *Il matrimonio*, p. 297.

Actualis status vitae *partis conventae*, praesertim si post divortium novas nuptias attentaverit, potest indirecte adiuvere ad cognoscendum verum actualem statum partis oratricis, et etiam eventuales eius obligationes morales de quibus in n. II §§ 5-6.

109 Maioris momenti sunt omnia quae pertinent ad statum vitae *partis oratricis*, scilicet, si forte adhuc separata non sit a parte conventa, aut si separata fuerit de facto aut per divortium, immo novum matrimonium attentaverit. Quae omnia indicabunt an dissolutioni adiungenda sit alia gratia (cf. art. 13).

110 Denique diligenter investigandum est an «*a concessione gratiae absit publici scandali periculum, vel gravis admirationis*» (cf. art. 14).

2° De carentia baptismatis (*Instr. n. I, a; NPr, art. 6*).

111 In omnibus casibus dissolutionis matrimonii requiritur carentia baptismatis in alterutro coniuge per totum tempus vitae matrimonialis, uti conditio ad validitatem (n. I, a). Immo, ut obvium est, talis carentia extendi debet etiam ad tempus matrimonium praecedens.

112 Ratio est obvia: nam si uterque coniux est baptizatus et insuper consummarunt matrimonium, dissolutio est impossibilis.

113 1. De probatione carentiae baptismatis.

Requiritur igitur certitudo moralis (art. 6 § 1) de carentia baptismatis, quae obtineri potest probationibus directis et indirectis.

114 a. De probationibus directis. Sunt hae tres:
1) *Partium declaratio.* In art. 6 § 2 praecipitur ut

interrogetur «*coniux qui se baptizatum dicit*». Aliqui auctores existimant deesse particulam «*non*» inter verba «*se*» et «*baptizatum*», negantibus aliis, quia particula «*non*» deest etiam in Instructione anni 1934, art. 9 § 1. In quovis casu videtur oportere ut utraque pars interrogetur, immo id videtur trahi analogice ex art. 7 §§ 2-3⁴⁰.

115 Obiectum quaestionum quae deferuntur partibus et testibus debet extendi ad circumstantias ex quibus assertio carentiae baptismatis fiat credibilis (cf. § 4).

116 Si pars non baptizata est pars conventa, poterit eius interrogatio esse impossibilis, vel quia irreperibilis, vel quia collaborare non vult.

117 2) *Interrogatio testium*. Sicut praecipit § 3, excutiantur «*praesertim coniugis parentes et consagui-nei, alique, speciatim qui tempore infantiae ei adstiterunt et totum eius vitae cursum noverunt*».

118 3) *Libri baptizatorum*, et quidem «*in locis ubi pars, quae dicitur non baptizata, infantili aetate vixisset; praesertim in ecclesiis quas ipsa frequentaverit ad acquirendam religiosam institutionem, vel in qua matrimonium celebraverit*» (§ 5).

119 b. *De probationibus indirectis*. Hae probationes possunt confirmare vel etiam substituere probationes directas. Consistunt praesertim in praesumptionibus.

120 C.S. Officii, in documento diei 1 augusti 1883, indicat praecipuas praesumptiones quae indirecte concludunt pro carentia seu inexistencia bap-

⁴⁰ F. LODOS, p. 820, nota 10.

smatis. In fine asserit: «*Casu quo nulla pro baptismo militat praesumptio, applicanda est regula: factum non praesumitur, sed probandum est*»⁴¹.

121 2. De baptismatis certo collati, sed invalide.

Quoties certo constat de facto baptismatis in aliquo casu, praesumptio adest in favorem validitatis eius; sed «praesumptio cedit veritati».

122 Certo, ex eo quod baptismus collatus fuerit in Ecclesia Orientali Orthodoxa non emergit per se dubium ullum circa eius valorem. Immo, etiamsi regestum sileat de collatione baptismatis, adhuc constat implicite de eius collatione si constet explicite de collata confirmatione, quae apud eos post baptismum confertur.

123 Si autem baptismus collatus fuerit in alia ecclesia aut communitate acatholica, examinandi essent singuli casus⁴².

124 3^o De dissolutione matrimonii non consummati (can. 1142, Instr. I; NPr, art. 7).

125 1. De adiutorio quod dant Congregationes Summo Pontifici in solvendis his matrimoniis.

Fundamentum huius n. 3 est Romanum Pontificem pollere potestate ad dissolvendum non solum matrimonia rata et inconsummata baptizatorum, verum etiam matrimonia disparia inconsummata, dum-

⁴¹ S.C.S. OFFICII (Savannah), 1 augusti 1883, in *Fontes codicis I.C.* [anni 1917], IV, n. 1083, p. 414, n. 6.

⁴² Cf. SECRETARIATUM AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM, «*Directorium... "Ad totam Ecclesiam"*», [Pars] II, *De baptismi validitate a ministris Ecclesiarum et Ecclesialium communitatum a nobis seiunctarum collati*, 14 maii 1967, nn. 11-13, in AAS 59 (1967) 578-581.

modo iusta adsit causa. Consequenter, si non existit, v.g. asserta inconsummatio, dissolutio concessa est nulla, sive agatur de matrimonio sacramentali, sive de non sacramentali.

126 a. Can. 1119 Codicis a. 1917 affirmat hanc potestatem Apostolicae Sedis (quae heic pro Romano Pontifice supponit), relate ad matrimonia inconsummata. Silet, e converso, de Congregationibus Romanis quae in diversorum casuum praeparatione adiutorium dant Papae.

127 Ex aliis tamen fontibus constat quod matrimonia primae categoriae, seu omnia *matrimonia non consummata inter baptizatos* erant sub competentia Congregationis de sacramentis, si excipias illa quae procedebant ex matrimonio consummato in infidelitate, quae quidem subiciebantur competentiae Congregationis S. Officii, ut docebat Card. GASPARRI a. 1932⁴³. Ratio exceptionis probabiliter reponenda est in problematibus externis annexis, pro quorum solutione experientia praedictae Congregationis erat pretiosa. E converso matrimonia secundae categoriae, seu *matrimonia disparia non consummata* pertinebant per se ac sine exceptione ad Congregationem S. Officii sicut constat ex Codice a. 1917, can. 247 et ex Instructione anni 1934, art. 1-2.

⁴³ Animadvertere oportet, relate ad exceptionem indicatam, quod Card. GASPARRI recte sermonem facit de coniugibus infidelibus «*qui matrimonium in infidelitate consummarunt, deinde convertuntur ad fidem et baptismum recipiunt, quin matrimonium post baptismum consumment*» («*De matrimonio*», II, n. 131. Emphasis est nostra). A. ABATE mentionem facit de eadem exceptione, sed, ex lapsu calami, loquitur de: «*due parti non battezzate*» («*Il matrimonio*», p. 307); quod, si res ita se haberet, neque matrimonium esset ratum neque caderet sub can. 1119 (hodie 1142).

128 b. In Constitutione «*Regimini Ecclesiae Universae*» diei 15 augusti 1967, sub n. 56 § 1 (AAS 59 [1967] 907) PAULUS VI clare expressit mentem unificandi apud Congregationem de sacramentis competentiam circa causas inconsummationis, quae erat divisa cum aliis Congregationibus, praesertim cum Congregatione pro Doctrina fidei (olim S. Officio), uti ex parte vidimus. Ideo convenientes Cardinales Praefecti utriusque Congregationis «*proposuerunt ut [...] in posterum S. Congregatio pro disciplina Sacramentorum cognosceret etiam de causis inconsummationis, in quibus una pars non est baptizata*». Quod votum approbavit PAULUS VI die 14 iulii anni 1973, prout habetur in «*Rescripto ex Audientia*» (AAS 65 [1973] 602).

129 Admirationem movet quod in «*Rescripto ex Audientia*» nulla fiat mentio de dissolutione matrimonii rati et non consummati, cui precesserat matrimonium infidelium de quo supra (n. 127). Praeterea can. 1142 novi Codicis, quoad hoc argumentum, refert taliter qualiter textum can. 1119 veteris Codicis, nulla indicatione facta de unificatione competentiae peracta apud Congregationem de sacramentis. Immo fontes canonis 1142 «*Rescriptum ex audientia*» ignorant.

130 Nihilominus A. ABATE, qua est auctoritate, asserit tum exceptionem primae categoriae matrimoniorum inconsummatorum, tum integram alteram categoriam canonis 1142 (olim 1119) nunc subici exclusive competentiae Congregationis de Sacramentis vi «*Rescripti ex Audientia*», quod citat in nota⁴⁴.

131 c. Nihilominus haec unificatio competentiae apud Congregationem de sacramentis non est ferrea,

⁴⁴ «*Il matrimonio*», p. 307 et nt. 26.

sed potest habere exceptiones pro bono animarum.
Ad rem idem ABATE:

«Praesertim propter difficultates quae facile exsurgere possunt contra probationem iuridicam facti inconsummationis, etiam cum haec praesumatur cum fundamento, Ordinarius loci qui petitionem accipit eamque examinat, posset permittere aut etiam suggerere viam dispensationis in favorem fidei loco viae inconsummationis. Hoc in casu petitio implicabit modum procedendi statutum a S. C. pro Doctrina Fidei, quae una competens est ad praesupposita necessaria aestimanda, simul cum condicionibus et limitationibus quas normae ab ipsa datae important pro singulis hypothesibus»⁴⁵.

132 Consequenter hodie, attentis circumstantiis, dissolutio vinculi peti potest aut propter favorem fidei aut propter inconsummationem.

133 *In primo casu* pars oratrix dirigitur ad Congregationem pro Doctrina fidei, quae habet propriam proceduram cum determinatis requisitis et aliquibus limitationibus, v.g., pars oratrix debet intendere transitum ad alias nuptias, immo *debet indicare* quinam futurus sit novus coniux; non admittitur petitio si pars oratrix proveniat ex matrimonio contracto cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, etc.⁴⁶.

134 *In altero casu* gratia conceditur tramite Congregationis de Sacramentis. Requisite, ad normam can. 1142, solummodo sunt inconsummatio et iusta causa. Nec dantur limitationes supra indicatae.

⁴⁵ *Ibidem*, pp. 307-308. Versio est nostra.

⁴⁶ *Ibidem*, p. 307.

135 Denique si agatur de matrimonio dispari et, petita dissolutione vinculi propter eius inconsummationem, Congregatio de Sacramentis negative responderit, pars oratrix potest aut instare apud Congregationem ad normam can. 1705 § 3, aut, quod satius videtur, casum ad Congregationem pro doctrina fidei defferre ut obtineat dissolutionem propter favorem fidei⁴⁷.

136 2. *De dissolutione matrimonii infidelium fortasse consummati, quod evasit ratum et non consummatum.*

Redimus ad illud matrimonium ratum non consummatum de quo supra (n. 127 cum nt. 43), quod cum GASPARRI censemus inclusum quidem esse in prima categoria can. 1119 (hodie 1142). Instructio valde commendat ut accurate per processum inquiretur an «*usus matrimonii [cuius dissolutio petitur] factus fuerit post baptismum forte susceptum a parte quae baptizata non erat*» (*Instr.*, I, b; NPr. art. 7); nam uti clarum est, dispensatio, si concederetur in casu, esset invalida.

137 Opportunum est animadvertere omnes casus comprehensos in prima categoria (sc. ratum et non consummatum) aut in secunda (matrimonium dispari non consummatum) canonis 1142, subiectos esse solummodo duobus requisitis in ipso canone statutos sc. inconsummationi et iustae causae, non vero limitationibus, quas fert secum dissolutio vinculi concessa a Papa vi potestatis, quam habet in matrimonia naturalia.

⁴⁷ Casus eiusmodi prospicitur a Card. GASPARRI, «*De matrimonio*», II, p. 231, n. 1124, 2^o.

138 3. De dissolutione matrimonii disparis non consummati.

Uti praeambulum quaestionis tractandae oportet prae oculis habere modum quo se habet — iuxta doctrinam communem — matrimonium naturale relate sive ad matrimonium ratum tantum, sive ad matrimonium dispar⁴⁸. In primo casu matrimonium naturale elevatur per utriusque partis baptismum ad categoriam sacramenti, quae elevatio talis est ut videatur agi de novo matrimonio, in quod non incidunt, v.g., consummationes factae a coniugibus tempore matrimonii simpliciter naturalis. E converso, matrimonium naturale, per susceptionem baptismi ab uno ex coniugibus, nullam subit transformationem. Baptismus quidem iustificaret ut Papa posset aliquando in illud matrimonium intervenire, sed eiusmodi matrimonium manet naturale⁴⁹. Consequenter si ante baptismum matrimonium fuerat consummatum, manebit consummatum ad omnes effectus etiam post baptismum.

139 Doctrina exposita sic breviter compendiat: Matrimonium naturale se habet 1) ad matrimonium ratum tantum, sicut vetus ad novum, 2) ad matrimonium dispar, absque ulla differentia quia pergit esse naturale.

140 His positis veniamus ad casum, qui posset movere aliquam difficultatem. Agitur de matrimonio celebrato a duobus infidelibus, quorum unus deinde baptizatus est, et, post aliquod tempus, petiit dissolu-

⁴⁸ Cf. F.M. CAPPELLO, «De matrimonio», nn. 755-792.

⁴⁹ Similiter F.M. CAPPELLO, occasione dispensationis ab impedimento disparitatis cultus: «*Dispensatio concessa ab Ecclesia super impedimento disparitatis cultus non mutat naturam et indolem matrimonii [naturalis]*», *ibid.*, n. 790, sub 5.

tionem vinculi naturalis «per inconsummationem», ad normam can. 1142. Quaeritur: ad obtinendam petitam vinculi naturalis dissolutionem sufficitne inconsummatio postbaptismalis, aut requiritur insuper inconsummatio etiam praebaptismalis? — Censemur requiri utramque inconsummationem: quia petitur dissolutio matrimonii disparis inconsummati; nunc vero, matrimonium dispar in casu est unum idemque matrimonium naturale sive ante baptismum sive post baptismum. Ergo si exigitur ad concedendam dissolutionem quod matrimonium fuerit inconsummatum, nulla distinctione facta, obvium est ut requiratur inconsummatio sive ante sive post collatum baptismum. Huius opinionis sunt etiam Card. GASPARRI et A. ABATE.

141 GASPARRI considerat casum in quo coniux, conversus et baptizatus, «*suo iure* [transeundi ad alias nuptias] *non utitur quia non potest aut non vult novas inire nuptias, tunc si matrimonium cum infideli non fuerat consummatum, solvi potest vi can. 1119*»⁵⁰.

142 Uti patet, verba «si matrimonium...» sunt absoluta seu distinctionem non admittunt, ideoque comprehendunt inconsummationem etiam ante receptionem baptismi immo est unica inconsummatio verisimiliter existens in casu!

143 A. ABATE: Agens de matrimonio dispari, scribit:

«*Hoc in casu, cum consummatio probanda est a tempore matrimonii celebrati, et non tantum a momento possibilis receptionis baptismi a coniuge qui prius baptizatus non erat,*

⁵⁰ Card. GASPARRI, «*De matrimonio*», II, n. 1155, 2°. *Emphasis est nostra.*

*possibilitas solutionis huius vinculi aequiparatur illi alicuius matrimonii "rati et non consummati"*⁵¹.

144 Verba «a tempore matrimonii celebrati» clare ostendunt ABATE censere quod non sufficit inconsummatio postbaptismalis ad obtinendam dispensationem matrimonii disparis ad normam can. 1119 (hodie 1142), sed quod requiritur insuper inconsummatio praebaptismalis, si casus eam ferret. Denique extrema verba: «possibilitas solutionis» etc., non habent sensum substantivum (quia contradicerent supra dictis) sed referuntur ad structuram processualem et ad requisita quibus subiciuntur seu aequiparantur omnes casus comprehensi in can. 1142.

145 4^o. *De conversione ac baptismo partis oratrici* (NPr. art. 8-9).

1. Uti iam diximus, coniux non baptizatus, qui se convertere non vult, potest esse pars oratrix (cf. supra, nn. 75 et 33-35), dummodo cautiones dederit (cf. *infra*, nn. 152-157).

146 2. Nunc, vice versa, agitur de matrimonio dispari, cuius pars non-baptizata convertitur et baptizatur, sive ante sive post separationem ab altero coniuge, et vult inire matrimonium cum alia parte catholica.

147 Duae ponuntur quaestiones: prima ac fundamentalis est de sinceritate conversionis; et, quatenus affirmative, ponitur altera questio: utrum matrimonium dispar, quod evasit ratum per conversionem et baptismum alius partis, fuerit post ratificationem consummatum. Sed quoniam de hac altera quaestione

⁵¹ A. ABATE, *Il matrimonio*, p. 306. Versio latina est nostra.

tractavimus sub n. 3^o, 2, nunc agemus de conversione et baptismo.

148 3. Iure meritoque *Normae* non loquuntur solum de baptismo, sed de conversione et baptismo simul. Nam, cum agatur de adultorum baptismo, ad eius valorem fides, ratione saltem debitae intentionis, requiritur seu sincera ad fidem catholicam conversio. Secus tum baptismus, tum matrimonium consequens erunt invalida.

149 Ad vitandas, in quantum possibile, has invaliditates, *Normae* exigunt certitudinem moralem circa sinceritatem conversionis ideoque sapienter optimoque iure praecipiunt ut, «*nisi quaevis rationabilis suspicio de conversionis sinceritate amota fuerit*», Episcopus preces ad Congregationem numquam dirigat (art. 9 § 2).

150 4. Complendi argumenti causa iuvat indicare quosdam invenisse contradictionem in eo quod, ex una parte, non baptizatus (ideoque *non conversus* ad fidem catholicam) possit esse pars oratrix, et, ex alia, non permittitur ut sit pars oratrix illa *de cuius conversionis sinceritate dubitatur*⁵².

151 Sed, revera, nulla datur contradictio: nam in primo casu defectus baptismi non obstat, quia intenditur matrimonium dispar cum catholico, data etiam dispensatione ab i.d.c.; in altero vero obstat dubius baptismus, quia intenditur matrimonium ratum, seu inter duos certo baptizatos.

⁵² CONGREGATIO PRO D.F., 16 sept. 1974. Cf. *Append. I, A*, n. 4, quaeest. 2-3.

5°. *De cautionibus (Instr. nn. I, c: § 7. NPr. art. 15).*

152 1. Agitur de tertia «condicione sine qua non», seu ad valorem, contenta in n. I, c. Nec obstat quod cautiones in matrimoniis mixtis non sint ad valorem (can. 1125), nam alia est ratio matrimonii de quo heic agitur (cf. infra, n. 157). De cetero, ut patet, invaliditas de qua agimus non est iuris naturalis sed positivi, quod clare constat ex contextu n. I, litt. c.

153 2. Cautiones datae a parte acatholica praesumuntur sincere. Si tamen de facto verba non responderent interno animo, cautiones essent *invalidae*. Ideo pro certitudine obtinenda de sinceritate cautionum valent quoque art. 8-9 (cf. supra, nn. 145-148).

154 Si celebrato novo matrimonio, probaretur iuridice invaliditas cautionum propter defectum sinceritatis, idque Congregatio pro Doctrina fidei confirmaret, Episcopus, cuius interest, posset matrimonium nullum declarare propter impedimentum ligaminis adhuc validi.

155 3. In n. II § 7, petitur quaedam veluti cautio a parte catholica, cum qua novum matrimonium initur; sed est ad liceitatem tantum.

156 4. In art. 15 praescribitur ut de cautionibus datis a parte acatholica (supra, n. 153), fiat authenticum documentum.

157 Haec ratio agendi cum parte acatholica magis rigorosa est quam quae adhibetur in «matrimoniis mixtis» (can. 1125). Quod fortassetribuendum est gravioribus periculis, quae in matrimoniis non sacramentalibus adesse possunt.

6° *De matrimonio cum catechumeno (Instr. II § 8).*

158 1. In Normis apparet clare intentio legislatoris ut coniux qui accipit beneficium dispensationis contrahat cum parte catholica (II § 7).

159 2. Ideo ubi pars oratrix vellet contrahere cum catechumeno, suadendum est ut novae nuptiae differantur donec catechumenus baptismum receperit. Si tamen baptismus exspectari non poterit, «certitudo moralis habeatur» de proxima baptismi receptione (§ 8).

160 2. In hoc casu, si pars oratrix est baptizata, requiritur dispensatio ab i.d.c. Sed *clausula* rescripti, in quo conceditur parti oratrici nuptias inire cum parte non-baptizata sed parata ad recipiendum baptismum *post* nuptias, respicit *solummodo licitatem* dissolutionis praecedentis matrimonii eiusdem partis oratricis.

7° *De dissolutione matrimonii disparis contracti cum dispensatione ab i.d.c. (Instr. IV).*

161 Casus praesens est veluti complementum illius casus similis, cui, uti vidimus, dissolutio non conceditur (nn. 83-86).

162 1. *Condiciones pro dissolutione.*

In praesenti casu possibilitas dissolutionis matrimonii disparis est subiecta condicionibus essentialibus (n. I, a-b; non vero c, quia defectus cautionum respicit valorem futuri matrimonii, sed non impedit solutionem illius iam contracti; nisi forte in aliquo casu dissolutio primi matrimonii vincularetur validae celebrationi secundi), et etiam, quantum ad liceita-

tem, non solum condicionibus communibus (n. II), sed etiam his specialibus:

1^a Quod pars catholica «*ob peculiaria regionis adiuncta, praesertim ob exiguum in regione numerum catholicorum, vitare non potuisse matrimonium [cum non baptizato]*»,

2^a «*atque in eodem vitam catholicae religioni congruae ducere non potuisse*»,

3^a «*praeterea necesse est ut haec S. Congregatio edoceatur de publicitate celebrati matrimonii*». Publicitas, ut obvium est, dissolutioni potius noceret.

163 2. De nova comparte.

Quoad novam compartem, haec debet esse baptizata, sive catholica, sive non, uti constat ex responso Congregationis pro Doctrina fidei, diei 5 aprilis 1976⁵³; ideo matrimonium ineundum erit sacramentum⁵⁴.

164 In altero casu, scilicet si compars est baptizata-acatholica, agitur de matrimonio mixto «sensu stricto»; licentia tamen requisita ad illud celebrandum non potest dari ab Episcopo dioecesano iuxta can. 1125 et 1147, quia est reservata Congregationi pro Doctrina fidei⁵⁵. Tamen Episcopi dioecesani est investigare de valore baptismatis (supra nn. 111-123) et curare de cautionibus (supra, nn. 152-157).

165 3. De parte non baptizata in praecedenti casu.

⁵³ Cf. *Append. I, A*, n. 5.

⁵⁴ Consequenter nova compars nequit esse «catechumenus», etiamsi post nuptias baptismum recipere intendat. Cf. *supra*, nn. 158-160.

⁵⁵ *Append. I, A*, n. 4. Pro quaest. et resp. 2, cf. A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 291.

a. Potuisset ipsa evadere «pars oratrix» et petere vinculi naturalis dissolutionem ut ad novas nuptias transiret, *dummodo* ad fidem catholicam converteretur⁵⁶.

166 b. Si autem agit uti pars conventa, scilicet, dissolutioni matrimonii disparis *contraria*, si dissolutio conceditur, manet libera etiam ipsa a vinculo praecedenti et, quin convertatur, potest transire ad novas nuptias etiam cum parte catholica, praevia dispensatione ab i.d.c.⁵⁷.

8° *De modo quo pars oratrix suis obligationibus satisfacere intendat (Instr. II §§ 5-6; NPr, art. 11-12).*

167 1. *De harum normarum origine.*

Ante Concilium Vaticanum II relinquebatur Iudicibus et iis, qui iudicibus aequiparantur, munus inquirendi et providendi in sententiis aut «votis» ut partes in causa obligationibus, quas inter se vel versus prolem haberent, satisfacerent. Hinc quod non raro res negligeretur, cum danno praesertim prolis.

168 In laudem *Instructionis* anni 1934 oportet dicere eam in art. 14 sollicitam de prolis religiosa educatione se demonstrasse.

169 Novus Codex condidit can. 1689, in quo clare et breviter praescripsit quae ad hoc argumentum pertinent. Huic accedit can. 1148 § 3, qui, magna caritate vult ut, in casibus polygamiae, «*uxoris ceterarumque [mulierum] dimissarum necessitatibus satis provisum sit*».

⁵⁶ Cf. responsum Congregationis pro D.F., *Append. I, A, n. 3*.

⁵⁷ Sic A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 291.

170 *Instructio* anni 1973 cum normis processualibus annexis recipiunt spiritum et praescripta tum praecedentis *Instructionis*, tum Schematum novi Codicis, in numeris et articulis supra citatis. In eis clare distinguitur inter obligationem partis oratricis erga educationem prolis susceptae ex matrimonio vel concubinato, et obligationem secundum leges iustitiae relate ad prolem et coniugem relictas.

171 2. *De obligatione indolis religiosae erga prolem.*

Episcopi est investigare an pars oratrix prolem ex matrimonio susceptam, aut forte etiam illegitimam habuerit, «*et quomodo eiusdem religiosae educationi providerit aut providere intendat*» (art. 11).

172 In plerisque casibus coniuges divortium civile obtinuerunt, ideoque civilis iudex, iuxta leges, statuit an filii minores, praesertim si nondum infantia egressi sunt, debeant relinqui penes matrem, aut penes patrem.

173 Si pars oratrix ferat secum liberos, facilius curare poterit de eorum educatione religiosa, etiam in fide catholica. Si autem filii maneant apud coniugem non baptizatum, curet ut excolantur iuxta religionem alterius coniugis, nisi conventionem cum illo inire possit de filiorum educatione aut iuxta ethicam naturalem aut, melius adhuc, in schola catholica.

174 3. *De obligatione ex iustitia versus prolem et alterum coniugem.*

Etiam divortium civile normas statuit, a iudice applicandas, circa partitionem bonorum, ratione habita coniugis apud quem remanent omnes aut numerosiores filii. Si pars oratrix sit vir, ut plurimum debet uxori dotem restituere, et fortasse etiam certam sum-

mam argenti singulis mensibus eidem tradere, ut expensas sustentationis et educationis filiorum sustinere possit.

175 Episcopus curet ut pars oratrix obligationibus, quibus scundum leges civiles tenetur, satisfaciat; immo, si bonis abundet, suadeat eidem ut suppleat cum christiana caritate, quae lex non providit, aut parce nimis providit.

9° «*Favor fidei*» uti dissolutionis motivum (cf. *Instructionis titulum et prooemium; etiam NPr. titulum*)⁵⁸.

176 1. De primis dissolutionis motivis

A tempore S. PAULI (cf. 1 Cor., 7-15) motivum dissolutionis matrimonii duorum infidelium erat evitatio peccati gravis in genere, aut peccati contra fidem, v.g., apostasiae, aut desiderium obtinendi salutem eternam.

177 INNOCENTIUS III adhibebat haec eadem motiva⁵⁹; tamen in eius Litteris Decretalibus «*Gaudemus in Domino*» (a. 1201) haec novitas invenitur: ipse primus utitur locutione «*in favorem... fidei*»⁶⁰, quae tamen nondum est formula adhibita ad exprimendum motivum dissolutionis matrimonii⁶¹ sed ad suaden-

⁵⁸ In nn. 176-184 sequimur U. NAVARRETE, «*Favor fidei*», in paginis indicandis.

⁵⁹ *Ibid.*, pp. 76-77.

⁶⁰ *Ibid.*, p. 76, initio. Vide textum magis completum apud GREGORIUM IX, Decretales, X. IV.19.8. (Richter-Friedberg, II, 723), vel etiam in DS, n. 777.

⁶¹ De cetero obiter animadvertere iuvat quod iam a medio saeculo XII ROLANDUS BANDINELLI, deinde ALEXANDER III, admittebant dissolutionem matrimoniorum, quae hodie non-sacramentalia dicimus: «...usquequaque est quod matrimonium

dam continuationem cohabitationis, spe alliciendi ad fidem coniugem non credentem⁶².

178 2. *Favor fidei propagandae uti motivum dissolutionis.*

In saeculo XVI, occasione diffusionis fidei in novo mundo, Summi Pontifices PAULUS III, PIUS V, GREGORIUS XIII et alii, ediderunt diversas notissimas constitutiones, quibus prospiciebant necessitati solvendi connubia non baptizatorum in aliis casibus praeterquam in casu paulino. Haec actio apostolica Summorum Pontificem sustinebatur et promovebatur a theologis magni nominis (uti erant LEDESMA, TUCCI, IUSTINIANUS, et alii) diversis monographiis circa illud argumentum. Magni momenti est videre quomodo hi theologi procedant ex principiis in Novo Testamento nixis, uti, v.g. illud a St. TUCCI enuntiatum: «*Apostolus sumit regulam matrimonii ex fide, non fidei ex matrimonio*»⁶³.

179 Fuit quidem in his scriptis ubi locutio «favor fidei» prima vice adhibetur uti formula continens motivum — de cetero valde «expressivum» — ad connubia dissolvenda. Immo frequenter locutio com-

legitimum et consummatum inter fideles ratum, id est indissolubile consistit; apud infideles, vero, vel fidelem et infidelem, dissolvi utique valet. Summa, in C. 28, q. 1. — Ex U. NAVARRETE, *ibid.*, p. 73.

⁶² Huius opinionis erant imprimis plures Patres et scriptores illis coaevi, v.g. S. AGUSTINUS, S. CYRILLUS ALEXANDRINUS et alii (U. NAVARRETE, «*Favor fidei*», p. 68); deinde praefatus ROLANDUS BANDINELLI, cum commentatur citatum textum AUGUSTINI (*ibid.*, p. 75), UGUTIUS, et praesertim INNOCENTIUS III in citatis litteris decretalibus «*Gaudeamus in Domino*» (*ibid.*, p. 76).

⁶³ U. NAVARRETE, «*Favor fidei*», pp. 77-80. Textus ex St. TUCCI in p. 80.

pletur per additionem vocis «propagandae»: «favor fidei propagandae», ex quo clare apparebat quomodo matrimoniorum infidelium solutio arcte connecteretur cum evangelizatione, quae fit per fidem et baptismum⁶⁴.

180 Congregationes sive S. Officii sive de Propaganda Fide, suis rescriptis, multum influxum habuerunt in divulgatione «favoris fidei» tanquam motivi dissolutionis⁶⁵.

181 3. «*Favor fidei*» uti dissolutionis motivum in Codice 1917 et in Instructione anni 1973.

a. In Codice anni 1917 retinetur «favor fidei» uti motivum dissolutionis matrimonii, explicite quidem in can. 1120 § 1, qui agit de privilegio paulino; implicite, vero, in can. 1125, ubi agitur de extensione ad alios casus facta a Summis Pontificibus, sicut supra indicavimus. Ideo «favor fidei» in Codice est *restrictus* ad dissolutionem matrimonii quae cum baptismo coniungitur.

182 Hinc ortae sunt difficultates quando a Pontificatu PII XI «favor fidei» coeptus est extendi ad alias dissolutiones matrimonii, quae non erant coniunctae cum baptismo (cf. supra, nn. 14-26). Hinc etiam periodus silentii et studii, quam habuit Congregatio pro Doctrina Fidei, sub PAULO VI, ad difficultates enodandas (cf. nn. 27-33).

183 b. In Instructione anni 1973.

Uti iam diximus, fructus huius studii fuit quaedam dilatatio «favoris fidei», nixa semper in principiis

⁶⁴ *Ibid.*, pp. 81-82.

⁶⁵ *Ibid.*, p. 83.

theologicis⁶⁶. Nam favor incipit comprehendere novum genus dissolutionum matrimonii, quod, licet non sit cum baptismo coniunctum, tamen «*per novum contrahendum vel convalidandum matrimonium, partibus eorumque filiis necnon communitati ecclesiali [emolumentum spirituale] obvenit*»⁶⁷.

184 Nec mirum igitur quod U. NAVARRETE animadvertat hodie quamdam paritatem vigere inter clausulas «*favor fidei*», «*salus animarum*» et «*iuxta causa*»⁶⁸.

185 4. *Casus practici, qui hodie solvuntur «in favorem fidei».*

Diversi igitur modi, quibus habetur «favor fidei» in dissolutione matrimonii non sacramentalis, sic illustrari possunt:

1. Imprimis dissolutio, uti semper, potest favere baptismo partis oratricis. Sed praeterea:

2. Dissolutio favet parti oratrici catholicae, quae vivit in concubinato cum alia persona catholica, quacum poterit inire matrimonium.

3. Dissolutio favet parti acatholicae baptizatae, quae poterit nubere cum parte catholica, et gaudere spirituali beneficio sacramenti.

4. Dissolutio, petita a parte catholica, favet novae comparti ab ipsa praelectae, quae potest esse baptizata non catholica, parata se convertere; aut baptizata catholica, cui hae nuptiae offerunt unicam aptam occasionem exercitandi ius ad matrimonium.

⁶⁶ Cf. *supra*, n. 178 cum nota 63, et articulos citatos in n. 32 et nota 23.

⁶⁷ A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 298. Versio latina est nostra.

⁶⁸ U. NAVARRETE, «*Favor fidei*», p. 87.

5. Dissolutio favet proli illegitimae, cuius mater est catholica, libera ab omni vinculo, pater vero catholicus unitus in matrimonio cum non baptizata. Dissolutio huius matrimonii et celebratio matrimonii inter genitores prolis dabunt huic serenitatem spiritus et possibilitatem crescendi in normali familia.

6. Favet etiam Ecclesiae dissolutio casus supra indicati sub n. 2, si partes viventes in concubinato, quia cognitae, erant scandalo communitati ecclesiali⁶⁹.

186 IV. De faciendis post absolutam instructionem (Instr. III, NPr. art. 14-16).

1. De animadversionibus Defensoris vinculi.

Perfecta instructione, sine publicatione processus et sine conclusione in causa⁷⁰, omnia acta deferuntur ad Defensorem vinculi, qui, pot diligens examen, indicabit rationes, si sint, quae dissolutioni obsint.

187 2. De Episcopi voto.

Tandem Episcopus, prae oculis habens tum acta omnia tum animadversiones Defensoris vinculi, perficiet «votum pro rei veritate». In hac scriptura, prae-missis argumentis positivis, debet exprimere proprium iudicium circa existentiam vel minus requisitorum quae necessaria sunt pro valida et licita matrimonii dissolutione in singulis casibus, et de quibus late egimus in nn. 103-175 et 185⁷¹.

⁶⁹ Cf. A. ABATE, «*Il matrimonio*», pp. 297-301, unde has illustrationes selegimus.

⁷⁰ Similiter in processu «super rato tantum». Tamen in can. 1703 § 1 fit animadversio utilis ei, qui agit ad instar iudicis, etiam in causis «in favorem fidei».

⁷¹ Cf. quae supra diximus, sub n. 72, de possibilitate, quam habet Episcopus, committendi, etiam stabiliter, suo delegato ut votum conficiat.

188 Normae processuales iubent ut Episcopus in suo voto de quibusdam rebus mentionem faciat:

1. An ex gratiae concessione aliquod scandalum... timendum sit (art. 14).

2. Indicet causas, quae gratiae concessionem suadeant (art. 15). Sub nomine causae veniunt illa omnia commoda, reductive saltem spiritualia, quibus favor fidei, salus animarum vel sic dicta «iusta causa» (can. 1142) configurantur (cf. supra, n. 178).

Ad has causas pertinet serium dubium «*de valore ipsius matrimonii ex alio capite*», v.g., ex impotentia partis conventae (Instr., n. III).

3. An pars oratrix «*novum matrimonium iam attentaverit vel in concubinato vivat*» (art. 15).

4. Dicat — si pars sit acatholica et nolit recipere baptismum nec se convertere —, an cautiones dederit; praesertim si de illis documentum authenticum obtineri non potuit (*ibid*).

5. Etiam opportunum erit indicare an prolem habuerit ex matrimonio aut concubinato, et quomodo intendat providere tum ipsi, tum etiam alteri coniugi.

189 3. *De mittendis ad Congregationem actis omnibus.*

Denique, ad normam art. 16, Episcopus ad Congregationem pro Doctrina Fidei preces ac «*omnia acta et informationes, tribus exemplaribus, remittat, de quibus omnibus respondere tenetur*».

190 En tibi, ex praxi, actorum fasciculus completus:

1. Supplex libellus.
2. Documentum de celebrato vel celebratis matrimoniis.
3. Documentum baptismi.

4. Idem de morte alterius coniugis, si intendatur cum persona vidua contrahere.

5. Sententia aut decretum nullitatis matrimonii, si opus sit.

6. Actus divortii in exemplari fotostatico completo.

7. Processiculus matrimonialis, si fuerit concessa dispensatio super i.d.c., scilicet, depositio sponsorum et testium cum rescripto dispensationis.

8. Exitus investigationum, quae apud officia catholica vel acatholica peractae fuerint.

9. Relatio Parochi de religiositate partis catholicae aut partium, quae ad novas nuptias transire intendunt.

10. Cautiones, si necessariae fuerint.

11. Si pars oratrix conversa est, eius Parochus vel catechista de sinceritate conversionis testificare debet.

12. Acta instructoria:

a. Constitutio commissionis ad instar tribunalis.

b. Depositio partis conventae et partis oratricis.

c. Depositio testium.

d. Epistolae et alia documenta.

13. Animadversiones Defensoris vinculi.

14. Episcopi votum.

§ 3. *De processus fine* APUD S. SEDEM

191 *1. De decisione.*

Receptis actis et informationibus, Congregatio pro Doctrina fidei omnia examinat ac ponderat; quodsi eidem constet haberi certitudinem moralem circa omnium requisitorum existentiam, consilium dat Summo Pontifici de dissolvendo in favorem fidei matrimonium de quo agitur.

192 Gratia conceditur personaliter a Summo Pontifice, vi potestatis eius supremæ. Neque de facto eam delegat.

193 2. De rescripto.

a. De gratiae concessae effectu. Rescriptum cum gratiae concessione mittitur ad Episcopum; sed non eget executione. Ideo effectus gratiae obtinet, iuxta normam can. 62, «*a momento in quo datae sunt litterae*»; quod intelligitur de die, mense et anno in quo rescriptum subsignatum est ab auctoritate competente, non de tempore in quo ad partem oratricem pervenerit.

194 Si tamen gratia concessa est «per inconsummationem», solutio vinculi evenit in ipso momento in quo Papa in audientia gratiam concessit, sicut constat ex Instructione anni 1923, art. 103, qui censendus est adhuc esse in vigore, non obstante praefato can. 62, uti colligitur ex A. Abate⁷².

195 Exceptionaliter, tamen, aliquando effectus gratiae differtur ad momentum in quo novum matrimonium contrahitur (sicut evenit semper in casibus privilegii paulini, can. 1143 § 1 et in illis n. 80,3)⁷³.

196 b. De communicatione parti conventae. Dissoluto matrimonio, utraque pars evadit libera. Si altera pars se associavit oratrici, etiam S. Sedes, ut videtur, eidem concessionem gratiae communicat.

⁷² A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 308.

⁷³ Agitur de casu in quo pars oratrix in supplici libello non determinavit novam partem quacum intendit novas nuptias contrahere, et, exceptionaliter, Congregatio pro D.F. concedit dispensationem, indicando quod, praeter alia requisita a iure statuta, futura compars debet adhuc implere determinatas condiciones. In hoc casu vinculum praecedentis matrimonii tunc solvitur quando novae nuptiae celebrantur. Sic A. ABATE, «*Il matrimonio*», pp. 292-293, qui remittit ad responsum Congregationis pro D.F., Prot. n. 2717/68m, 11 ianuarii 1977.

197 Quid, vero si pars non se associavit?, seu quid de parte «conventa»? Olim Episcopus *debebat* communicare parti conventae concessionem gratiae. Sed, anno 1962, quibusdam Episcopis exponentibus Congregationi difficultates, quibus illa iniunctio laborabat, responsum est: «*Gratia intelligitur communicanda iuxta prudens iudicium Ordinarii*»⁷⁴.

198 c. De novis nuptiis. Pars oratrix et ei associata possunt. postquam gratiam receperunt, nuptias contrahere cum velint. Etiam pars conventa potest novum matrimonium inire⁷⁵.

IGNACIO GORDON, S.J.

⁷⁴ Cf. Responsum S.C.S. Officii, 2 iulii 1962, in *Append. I*, A, n. 2.

⁷⁵ Animadvertere oportet posse dari circiter sex figuras huius partis conventae, et, praeterquam in una, necesse est in reliquis recurrere ad Congregationem pro Doctrina Fidei ad obtinendam licentiam aut dispensationem ab i.d.c. Cf. A. ABATE, «*Il matrimonio*», pp. 305-306.

APPENDIX I.

DE FONTIBUS ET BIBLIOGRAPHIA

A. DE FONTIBUS

1.

CONGREGATIO SI OFFICII.

Instructio 1 maii 1934

(X. OCHOA. *Leges Ecclesiae post C.I.C. 1917 editae*, vol. II, Roma 1969, col. 3354-3355).

Normae pro conficiendo processu in casibus solutionis vinculi matrimonialis in favorem fidei per supremam Summi Pontificis auctoritatem.

Art. 1. - Connubia inita inter catholicos, quorum saltem alter baptizatus non sit, valida quidem censenda sunt, non tamen adeo rata ut necessitate suadente dissolvi non possint in favorem fidei per Supremam Summi Pontificis Auctoritatem.

Art. 2. - Huiusmodi rei cognitio S. Officio exclusive reservatur, ad normam can. 247 C.I.C.

Art. 3. - Gratia solutionis numquam conceditur nisi ex processu probe compertum fuerit in singulis casibus necessarias adesse condiciones ac gravissimas exstare causas quae ad Supremae Pontificiae Potestatis usum requiruntur.

§ 1. Duplex est essentialis conditio sine qua non: a) prima est carentia baptismi in alterutro coniuge perdurans toto tempore vitae coniugalis; b) altera est non usus matrimonii post baptismum susceptum a parte quae non erat baptizata. Praeterea duae aliae requiruntur conditiones, scilicet:

§ 2. Moralisis impossibilitas restorationis vitae coniugalis.

§ 3. Absentia scandali vel admirationis ex eventuali gratiae concessione.

Art. 4. - Processum conficit loci Ordinarius competens iuxta praescriptum can. 1964 vel per se, vel per alium ecclesiasticum virum ab eo delegatum. De facta delegatione aut commissione constare debet in actis ad S. Sedem transmittendis.

Art. 5. - Deducta non simpliciter asseri sed et probari debent iuxta Iuris Canonici praescripta, sive documentis, sive testium fide dignorum depositionibus.

Art. 6. - Documenta tum originalia tum in authentico exemplari exhibita ab ipso Ordinario vel iudice delegato recognosci debent.

Art. 7. - § 1. In interrogationibus praeparandis, quae partibus et testibus proponi debent, etiam opera Defensoris vinculi, vel alterius ad hoc munus explendum in singulis casibus delegati, adhiberi debet: et de hac delegatione in actis mentio facienda est.

§ 2. Testes antequam interrogentur iurare debent de veritate dicenda.

§ 3. Ordinarius, vel etiam Delegatus, interrogationes iam paratas proponat, aliasque adiungat, quae ad res melius cognoscendas opportunas iudicet vel ipsa responsa iam data suggerant.

Cum partes vel testes de alienis factis deponunt, iudex interroget etiam de causa seu de origine scientiae.

§ 4. Iudex enixe curare debet ut interrogationes ac datae responsiones accurate a Notario conscribantur et subscribantur a teste.

Art. 8. - § 1. Si testis aliquis acatholicus coram sacerdote catholico se sistere ac deponere renuat, poterit acceptari documentum continens depositionem super hac re coram publico notario a teste peractam; quod expressis verbis in actis adnotandum est.

§ 2. Iudex ordinarius vel delegatus ad decernendum num huic documento fides sit adhibenda, testes iuratos inducat, praesertim catholicos, qui testem acatholicum bene noverint, ac de eius veracitate testimonium ferre

velint et valeant.

§ 3. Etiam ipse Iudex suum exprimat votum circa fidem huic documento praestandam.

Art. 9. - Carentia baptismi in alterutro coniuge ita demonstranda est ut omne prudens dubium amoveatur.

§ 1. Ipse coniux, qui se baptizatum dicit, sub iuramento interrogetur.

§ 2. Insuper excutiantur testes et praesertim coniugum parentes et consanguinei aliique, speciatim qui tempore infantiae ei adstiterunt et totum eius vitae cursum novērunt.

§ 3. Testes interrogandi sunt, non unice de ipsa baptismi carentia, sed etiam de circumstantiis, ex quibus credibile et probabile appareat baptismum non fuisse collatum.

Art. 10. - Si quo tempore gratia solutionis petitur, coniux qui non baptizatus exstabat, ad baptismum iam admissum fuerit, processus saltem summarius institui debet, cum interventu Defensoris vinculi, de non usu matrimonii post baptismum sic susceptum.

§ 1. Ipse coniux sub iuramento interrogetur num post separationem a coniuge aliquam et qualem cum ipso habuerit relationem, et praesertim an post baptismum cum comparte contactus matrimoniales habuerit.

§ 2. Sed et altera pars, acatholica, circa matrimonii non consummationem sub iuramento, si fieri possit, erit interroganda.

§ 3. Testes praeterea «septimae manus» inducendi sunt et audiendi, pariter iurati, non tantum circa ea, quae post partium separationem et praesertim post baptismum evenerunt, sed etiam circa coniugum probitatem et veracitatem, seu circa fidem, quam eorum depositiones mereantur.

Art. 11. - Orator interrogetur de tempore et animo, quo ad baptismum suscipiendum vel ad conversionem inductus fuerit.

Art. 12 - § 1. Iudex parochum, aliosque sacerdotes, qui in doctrina fidei tradenda ac in conversione paranda ei praesto fuerint, interroget de rationibus, quibus orator

inductus fuerit ad baptismum suscipiendum.

§ 2. Preces ad S. Officiarius numquam dirigat, nisi quaevis rationabilis suspicio de conversionis sinceritate amota fuerit.

Art. 13. - § 1. Iudex ordinarius vel delegatus interroget oratorem testesque de causa separationis vel divortii, an scilicet ab oratore posita fuerit vel non.

§ 2. Iudex adducat in actis exemplar authenticum divortii.

Art. 14. - Iudex vel Ordinarius referat an ex matrimonio vel ex concubinato orator prolem susceperit et quomodo eiusdem religiosae educationi providerit, aut providere intendat.

Art. 15. - Ordinarius vel Iudex Delegatus informationes colligat circa coniugem acatholicum, ex quibus deduci valeat an restauratio vitae coniugalis sperari possit: nec referre omittat an pars acatholica post divortium novas nuptias attentaverit.

Art. 16. - Ordinarius expressis verbis referat an ex eventuali gratiae concessione aliquod scandali, admirationis vel calumniosae interpretationis periculum timendum sit, apud tum catholicos tum acatholicos, quasi Ecclesia impio divortiorum usui sua praxi faveat; expositis etiam circumstantiis, quae periculum in casu probabile reddant vel excludant.

Art. 17. - Causas, quae gratiae concessionem suadeant in singulis casibus exprimat Ordinarius, simul semper addendo an Orator novum matrimonium quovis modo iam attentaverit vel in concubinato vivat.

Art. 18. - Ordinarius praeces ad S. Officiarius, omnia acta et informationes remittat, de quibus omnibus respondere tenetur.

2.

CONGREGATIO S. OFFICII. Responsum, 2 iulii 1962
(A. ABATE, «*Il matrimonio*», p. 305, nota 24)

"In a letter dated 22 June, 1962, Your Excellency asked whether word of the dissolution of marriage, in

favour of the Faith, must be given to the respondent in each case, even though (a) the latter has not cooperated or has testified reluctantly or has indicated that he has no interest in the outcome of the case, or (b) such notification might beget odium towards the Church or serious difficulties for the petitioner.

In reply, the Holy Office has decreed as follows: "Gratia intelligitur communicanda iuxta prudens iudicium Ordinarii" (A. Card. Ottaviani).

3.

CONGREGATIO PRO D.F. Responsum 4 iulii 1974

(A. ABATE, *ibid.*, p. 291, nota 14)

All'Arcivescovo di San Francisco, California: «Litteris die 13 februarii 1974, Ex.tia Tua Rev.ma huic S. Congregationi, nonnulla dubia, ut infra sequuntur, proposuit: ... 3) Utrum pars non baptizata ... (proveniente da un matrimonio contratto con dispensa dall'impedimento di disparità di culto), dissolutionem sui matrimonii postulare possit». Haec S. Congregatio... respondendum censuit...: «Negative, nisi convertatur».

4.

CONGREGATIO PRO D.F. Responsum 16 sept. 1974

(A. ABATE, *ibid.*, pp. 291-292, nota 15)

Al Delegato Apostolico negli S.U.A.S., ...: «Exc.me ac Rev.me Domine, Litteris tuis 17 iulii 1974 datis Ex.tia Tua Rev.ma huic S. Congregationi nonnulla dubia, ab Ordinario Salinensi proposita, ut infra sequuntur, subiecit: 1) Quaeri potest privilegium si orator acatholicus, baptizatus vel non, nolit se convertere ad fidem catholicam? Si affirmative, dispensatio ab impedimento disparitatis cultus concedenda est a S. Congregatione vel ab ipso Ordinario loci? 2) Quaeri potest privilegium si orator catholicus sit et

inire velit novas nuptias cum acatholico baptizato qui non se convertit? 3) Si conversio necessaria non sit, quomodo explicetur art. 9 § 2 normarum proceduralium, ubi affirmatur "Praeces ad S. Congregationem pro Doctrina Fidei Ordinarius numquam dirigat, nisi quaevis rationabilis suspicio de conversionis sinceritate amota fuerit"? 4) Quo tempore hae normae vigere coeperunt?

Haec S. Congregatio propositis dubiis respondum esse censuit, ut infra, ad singula:

Ad 1. Affirmative et dispensatio ab impedimento disparitatis cultus concedenda est ab hac Sacra Congregatione. *Ad 2.* Affirmative, dummodo baptismus partis acatholicae validus sit. *Ad 3.* Art. 9, § 2 normarum proceduralium vim habet solummodo si agatur de parte non catholica quae parata sit ad fidem catholicam amplectendam. § 2, enim, est consecrarium art. 8 et art. 9, § 1. *Ad 4.* Normae integros effectus obtinuerunt a die 26 octobris 1973».

5.

CONGREGATIO PRO D.F. Responsum 5 apr. 1976

(A. ABATE, *ibid.*, p. 290, nota 13)

All'Ordinario di Pittsburg, ...: «Exc.me ac Rev.me Domine, Reverendus Secretarius istius Tribunalis, dubium ad hanc Sacram Congregationem proposuit circa N. IV "Instructio pro solutione matrimonii in favorem Fidei" scilicet: "In matrimonio celebrato cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, utraque pars - i.e. pars catholica et pars non baptizata — petere possit gratiam dissolutionis sui matrimonii". Ad rem Tecum communico hoc Sacrum Dicasterium supradicto quaesito respondere: a) Pars non baptizata petere nequit dissolutionem matrimonii, nisi convertatur; b) nuptias ineundas habeat cum parte catholica vel cum parte acatholica valide baptizata.

Aliis verbis, lex impedire novum matrimonium cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus denuo contrahendum intendit».

6.

CONGREGATIO PRO D.F. Responsum 19 oct. 1977
(A. ABATE, *ibid.*, p. 289, nota 12)

A S. Em.za Card. Agnello Rossi, Prefetto della S.C. per l'Ev. dei Popoli...: «Signor Cardinale, con lettera del 27 settembre 1977... il Reverendissimo Mons. Sottosegretario di codesto Sacro Dicastero, trasmetteva a questa Sacra Congregazione l'istanza della Conferenza Episcopale di Zambia in cui si chiedeva l'abrogazione dell'art. V dell'"*Instructio pro solutione matrimonii in favorem Fidei*" emanata da questa Sacra Congregazione il 6 dicembre 1973, prot. n. 2717/68, in modo da permettere alla parte cattolica di passare a nuove nozze con una persona non battezzata. La Conferenza Episcopale dello Zambia invocava vari motivi per appoggiare tale richiesta.

In merito mi premuro di informare l'Eminenza Vostra che questo Sacro Dicastero, esaminata attentamente l'istanza e vagliati i motivi addotti dalla Conferenza Episcopale, non può concedere l'abrogazione dell'articolo V dell'"*Instructio pro solutione matrimonii in favorem fidei*".

La ragione è evidente trattandosi nel caso dell'articolo V di un matrimonio celebrato con dispensa dall'impedimento di disparità di culto e poi sciolto, si vuole evitare che il nuovo matrimonio da contrarre, sempre con dispensa dall'impedimento di disparità di culto, possa subire la stessa sorte, e così all'infinito.

D'altronde in simili casi non si raggiunge il "bonum sacramenti" che è il fondamento indispensabile perché si abbia il "Favor Fidei" nello scioglimento.

Per quanto attiene alla incapacità dei fedeli di capire la norma, è compito degli Ordini provvedervi con opportune catechesi...».

B. BIBLIOGRAPHIA

- ABATE, A., «*De dissolutione matrimonii non baptizatorum, utroque coniuge in infidelitate manente*», in «*Periodica*» 67 (1978) 117-126.
- «*Il matrimonio nella nuova legislazione canonica*». Roma 1985, pp. 273-309.
- ACEBAL, J.L., «*El proceso de disolución del vínculo en favor de la fe*», in «*Ciencia tomista*» 103 (1976) 3-26.
- CAPPELLO, F.M., *Tractatus canonicus-moralis de sacramentis*, vol. V. *De matrimonio*, ed. 7^a, Torino 1961.
- (DS) DENZINGER, H.-SCHÖNMEYER, A., *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, Romae 1963.
- FELICI, P., «*Indissolubilità del matrimonio e potere di sciogliere il vincolo*», in «*Communicationes*», 7 (1975) 173-186.
- GARCIA BARRIUSO, P., «*Disolución posible de matrimonios meramente legítimos ante el derecho canónico*», in *Revista Española de Derecho Canónico* 16 (1961) 453-474.
- PETRUS CARD. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, ed. nova ad mentem Codicis I.C., 2 vol. Vaticano 1932.
- GORDON, I.-GROCHOLEWSKI, Z., *Documenta recentiora circa rem matrimonialem et processualem*, I-II, Roma 1977, 1980.
- LODOS, F., «*Poder vicario de la Iglesia y disolución del matrimonio*», in «*Sal Terrae*» 62 (1974) 817-826.
- MONETA, P., «*Lo scioglimento del matrimonio in favore della fede secondo recente istruzione della Santa Sede*», in «*Il Diritto ecclesiastico*» 87 (1976), II, 228-253. Etiam in auctoris *Scritti sul matrimonio canonico. Giurisprudenza e revisione legislativa*, Genova 1981, pp. 123-147.
- NAVARRETE, U., «*Potestas vicaria Ecclesiae. Evolutio historica conceptus atque observationes, attenta doctrina Concilii Vaticani II*», in «*Periodica*» 60 (1971) 415-486.
- «*Favor fidei*» e «*salus animarum*», in «*Ius*» 27 (1980) 60-81.
- RODRIGUEZ, J., «*Disolución del vínculo matrimonial en favor de la fe*», in *Revista Española de Derecho Canónico* 30 (1974) 359-552.
- STEINDL, J., «*Neuregelung der Eheauflösung in favorem fidei*», in «*Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht*» 26 (1975) 345-351.
- TOMKO, J., «*De dissolutione matrimonii in favorem fidei eiusque fundamento theologico*», in «*Periodica*» 64 (1975) 99-139.

ZALBA, M., «Favor fidei an salus animarum?» in «Periodica» 58 (1969) 739-754.

Nota. Pro aliis articulis cf. *Documenta Recentiora*, II, nn. 5520-5523.

APPENDIX II.

DISSOLUTIO MATRIMONII NON SACRAMENTALIS IN FAVOREM FIDEI IN SCHEMATIBUS NOVI CODICIS I.C.

In schematibus novi Codicis sermo erat de dissolutione matrimonii disparis in favorem fidei tum in sectione de matrimonio, intra ambitum L. III, De Ecclesiae munere santificandi, tum in L. VII, De processibus; ibi agebatur de unico canone substantivo, heic de aliquibus canonibus proceduram spectantibus.

I. De canone substantivo

Hic canon apparet iam exaratus in relatione anni 1973, praevia primo schemati, dein in primo schemate de sacramentis, anno 1975; tandem tum in schematibus totius Codicis perfectis in 1980 et 1982, tum in relatione anni 1981.

1. De relatione anni 1973

Prima recognitio canonum de matrimonio finita fuit anno 1973, eiusque notitiam dant duae relationes editae in *Communicationes*, prima in anno 1971 (vol. 3, pp. 70-73) et altera in anno 1973 (vol. 5, pp. 70-93). Canon, qui nobis interest, invenitur in altera (p. 86)*, et est huius tenoris:

* Cf. etiam U. NAVARRETE, «Schema iuris recogniti de matrimonio. Textus et observationes», in «Periodica» 63 (1974) p. 650, can. 104.

«Matrimonium initum a partibus quarum una saltem baptizata non fuit a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei, dummodo matrimonium non fuerit consummatum postquam coniuges baptizati fuerint».

2. *De primo schemate circa sacramenta, a. 1975*

Agitur de «can. 346 (novus)», qui nunc habet duas paragraphos: § 1 reproducit canonem relationis, nobis iam notum, con unica novitate, additione nempe vocis «ambo» inter *postquam* et *coniuges*. E contra paragraphus altera est totaliter nova:

«§ 2. Ut huiusmodi matrimonii solutio in favorem fidei valide concedatur, requiritur:

1) ut alteruter coniux baptismate careat perdurante toto vitae coniugalis peractae tempore;

2) ut post baptismum forte susceptum a parte quae baptizata non erat, matrimonium non fuerit consummatum;

3) ut persona non baptizata vel baptizata extra Ecclesiam catholicam parti catholicae, quacum novum contrahitur matrimonium, libertatem facultatemque relinquat propriam religionem profitendi atque catholice baptizandi educandique filios; quae conditio, cautionis forma, in tuto ponenda est» (p. 91).

Haec § 2 nota est lectori, quia reproducit fere ad verbum n. I Instructionis 1973 (cf. supra n. 53 nostri textus). Consequenter animadvertitur hac in re quidam mutuus influxus inter schemata de sacramentis et Instructionem: Nam ex Parte 1^a Relationis (a. 1971) assumit Instructio anni 1973 conceptum matrimonii *legitimi* (cf. *supra*, n. 57); et ex loco indicato huius Instructionis (sc., ex n. I) assumit schema de Sacramentis anni 1975 alteram paragraphum can. 346.

3. *Schemata completa aa. 1980 et 1982 et Relatio a. 1981*

Schema a. 1980, in suo can. 1104 reproducit can. 346 § 1, fere ad verbum, nam, in fine pro «fuerint» adhibet «sunt». E converso, in § 2 omittit duo prima requisita ad valorem, retinens solummodum tertium seu cautiones. Ecce huius § 2 tenor:

«§ 2. Ut huiusmodi matrimonii solutio valide concedatur requiritur quoque ut, si novum matrimonium contrahatur cum persona non baptizata vel baptizata non catholica, haec parti catholicae libertatem relinquat propriam religionem profitendi atque facultatem catholice baptizandi educandique filios; quae condicio, cautionis forma, in tuto ponenda est».

Relatio a. 1981. Manet intacta § 1. Sed 2 paulum mutatur. Nam reficitur initium ne potestas Summi Pontificis per illud "valide" restringi videatur; et in fine omittitur locutio «quae condicio...», quia hoc melius determinatur in rescripto pontificio:

«Si novum matrimonium contrahatur cum persona non baptizata vel baptizata non catholica, solutio prioris matrimonii non conceditur nisi pars non catholica parti catholicae libertatem relinquat propriam religionem profitendi atque facultatem agnoscat catholice baptizandi educandique filios».

Tandem can. 1150 *Schematis a. 1982* recipit in § 1 textum *Schematis a. 1980*, et in § 2 textum *Relationis a. 1981*.

Sed, uti dictum est, hic canon non transivit in novum Codicem (cf. *supra*, n. 36).

II. De canonibus processualibus

Prima notitia «de processu dispensationis in favorem fidei» invenimus in *Communicationes* 4 (1972) 59, ubi hic processus enumeratur in penultimo loco inter quattuor illos qui agunt de causis matrimonialibus. Tamen non evolvitur in paginis sequentibus; immo, *ibid.*, 5 (1974) 42, legimus:

Cause di dispensa «in favorem fidei». Se si riterrà d'introdurre nel Codice le norme che riguardano tale materia, esse saranno desunte da quelle operanti presso la S. Congregazione per la Dottrina della Fede».

Haec verba implicite confirmant illum processum, sub fine anni 1974, nondum elaboratum fuisse. Consequenter eius prima redactio videtur illa esse quae continetur in

primo schemate «De modo procedendi pro tutela iurium, seu de processibus», misso ad Conferentias Episcopales exeunte anno 1976, can. 373-376. Hi quattuor canones perseverant in Schematibus aa. 1980 et 1982; datur aliquod discrimen inter Schema 1976 et 1980; Schema autem anni 1982 retinet adamussum textum anni 1980, sicut apparet in sequenti tabella:

<i>Argumentum</i>	<i>Sch. 1976</i>	<i>1980</i>	<i>1982</i>
1. Sola S. Sedes dissolvit	c. 373	1659	1707
2. Libellus exhibetur Episcopo	c. 374	1660	1708
3. Instructio fit a iudice	c. 375§1	1661	1709
4. In procedura servantur	c. 375§1	1662	1710
5. Acta mittantur ad S. Sedem	c. 376	nihil	nihil

Ecce, ut exemplar, canones schematis anni 1980:

Can. 1659. De dissolvendo in favorem fidei matrimonio de quo in can. 1104 § 1 una Apostolica Sedes cognoscit.

Can. 1660. Coniux libellum quo petit dissolutionem matrimonii in favorem fidei exhibere debet Episcopo dioecetano, de quo in can. 1651, servatis ceteris eiusdem canonis praescriptis.

Can. 1661. Instructio ad probandam existentiam conditionum, quae ad dissolutionem concedendam requiruntur, aliarumque circumstantiarum quae utiliter cognosci possunt, committatur tribunali vel sacerdoti ad normam can. 1652*.

Can. 1662. In procedura ad dissolutionem matrimonii in favorem fidei servantur praescripta cann. 1653-1658*, congrua congruis referendo.

Hi tamen canones processuales, sicut diximus de canone substantivo, non transiverunt in Codicem (cf. *supra*, n. 36).

IGNACIO GORDON, S.J.

* Sunt canones processus «super rato».